JOANNIS FREDERICI LUDOVICI SCHRÖDER,

DISPUTATIO

QUA

SOCRATIS SENTENTIA DE PHYSICAE DISCIPLINAE STUDIO EXPONITUR.

DISPUTATIO

QUA

SOCRATIS SENTENTIA DE PHYSICAE DISCIPLINAE STUDIO EXPONITUR.

PRAEFATIO.

In obſcuris atque difficilibus quaestionibus, quae maximi nobis momenti videntur esſe, curioſe requirere, quid doctisſimi, inprimis ex antiquitate viri, olim ſenſerint, eorumque ſententias cum nostris ſtudioſe conferre, proprium est plurimorum hominum, atque, ſi non impeditur libera mentis actio, neque deſinimus nostrum ipſi adhibere judicium, ſi in explorando, quid verum, aut probabile ſit, non tam auctores, quam rationis momenta quaerimus, hoc ſtudium minime mihi reprehendendum, neque philoſopho esſe indignum videtur.

Quid enim accurata ejusmodi opinionum rationumque comparatione magis utile est, qua falſas, quibus imbuti ſimus, opiniones rejicere; veris certiorem, atque perfectiorem notitiam adhibere; latiores ad vires ingenii exercendas vias nobis aperire; asperitates, impedimenta, pericula, per quae in iis explorandis feramur, atque, quod minime parvi aestimandum est, ea, quae hominum vires ſuperant, detegere posſimus? Atque haud ſcio, an, hoc ad veritatem aditu intercluſo, magna etiam ex parte ingenii cultus, atque una fere omnis progresſus in artibus atque doctrinis intercludantur.

Haec autem cupiditas excellentium virorum opiniones investigandi, eo major profecto erit, quo magis illi propter ingenii acumen, judicii vim, veritatiſque amorem ſibi laudem, atque auctoritatem apud nos conciliarunt. Quales inter, quos plurimos fovit celeberrima illa Graecia,

eminet Socrates, atque fulget tanquam lucidisſima ſtella, quae proprio lumine tenebras a mundo dispellit.

Quis legens, quae de Socrate ab ejus discipulis memoriae nobis prodita ſunt, non ſumma movetur admiratione viri, non maximas voluptates percipit, atque fructus — idque, ſive contemplatur, quae et quo modo de vita, moribus, rebusque bonis et malis disſereret; ſeu animum advertit ad egregiam illam rationem, qua familiarium animos ad prudentiam, moderationem, honestatem, pietatem induceret, mentemque illorum, dispulſa caligine, idoneam redderet, ad virtutis ſemina recipienda, ſibique perſpicuas et distinctas notiones rerum, quas maximi interest hominis doceri, comparandas; ſive perſpicit, qualem ſe ipſe et vita et moribus ſemper praeſtaret, egregiaeque doctrinae veritatem ſuo exemplo vindicaret.

Quanquam autem in illis monumentis, quibus memoria ejus celebrata est, haec ſumma ſunt, omniumque nostra conſideratione longe dignisſima, ſunt tamen et alia, quae aliis, pro ſuo cuique ſtudio, inprimis videbuntur gravia. Criticus examinabit varias lectiones; grammaticus, quae ad linguae, dictionumque rationem; historicus, quae ad opiniones philoſophorum, qui Socratis tempore, aut ante eum floruerunt, ad mores, res gestas Graecorum, aliaque pertinent. Qui in Ciceronis ſcriptis legendis ſtudium ſuum inprimis collocavit, ante alia iis, quae a Cicerone de Graecis imitando, aut vertendo expresſa ſunt, attentum animum praebebit. Jam in disquiſitione, quid de variis rebus ſenſerit Socrates, ſua quisque tuebitur. Politicus aliis locis ea anteponet, quae reipublicae formae, atque administrationis; puerorum magister, quae juventutis erudiendae atque inſtituendae; jureconſultus, quae legum atque juris propria ſunt. Finge tandem, ut alios praetermittam, hominem phyſicis ſtudiis delectatum. Notabit hic praecipua industria ea, quae Socratis ſententiam de phyſica arte exponunt.

Hanc artem ego ipſe ſecutus, idemque ſumma admiratione Socratis imbutus, nemini mirabile erit, ſi notatu inprimis digna ea loca existimavi, quae, quid de phyſica ejusque disciplinae ſtudio ſtatuerit Vir magnus, declarant. — Neque etiam, cum hac in disputatione illa in-

investigare, colligere, atque explicare in animum induxerim, opus plane inutile mihi fuscepisfe videor, quoniam eruditorum fententiae hac de re etiam nostris temporibus funt inter fe disfidentes. Cujus discrepantiae caufa cum forfitan quoque in eo quaerenda fit, quod phyfica disciplina ab aliis, quibuscum illi quaedam intercedat fimilitudo, non fatis distincta fuerit (*a*), necesfe est, justis eam terminis circumfcribamus. Phyficam disciplinam equidem eam intelligo, quae feriem, continuationemque caufarum naturalium, legesque naturae inquirit, quibus ea, quae in rerum natura funt, atque fub fenfus cadunt (*φαινόμενα* appellata) variant, gubernantur atque in fe agunt invicem; qua definitione (*b*) a *teleologia*, quae finem aut *σκοπον* rerum naturalium; a *metaphyfica*, quae *νοούμενα*, quibus tanquam fundamentis *φαινόμενα* niti dicuntur; a *cosmogonia*, quae originem mundi; a *theologia*, quae naturam fupremam, creatorem mundi, providentiam divinam investigare conatur, fatis distincta esfe, atque Astronomiam, inprimis eam partem, quae attractionis vim atque effectum confiderat, jure fibi videtur vindicare.

Examinaturis autem nobis de hujus artis ftudio Socratis fententiam, adeundi funt fontes, in quibus Xenophontis et Platonis fcripta primo loco funt numeranda, videndumque, num hi a fe invicem discrepent, et quae fit utriusque auctoritas. Ita quod tandem concluditur argumentum, cum tota Socratis philofophandi ratione cohaereat, certiorem inde asfentiendi notam acquiret. Initium faciamus a Xenophontis Memorabilibus Socratis.

I. *Xeno-*

(*a*) Ut v c. a LAERTIO *in vita Socratis*. Lib II. Seg. 45.

(*b*) Quae multum differt ab ea, quam LAERTIUS Lib. I. Seg. 18, aliique dederunt, fecundum quos Phyfica inquirit *περὶ κόσμου καὶ τῶν ἐν ἀυτῷ*.

I. *Xenophontis Testimonium.*

In iis, quae de Socrate retulit Xenophon, quanquam id praecipue fpectabat, ut accufatorum calumnias refutaret, tamen ampliores fibi conftituisfe fines, imaginemque magistri et amici non folum ad intuendum, verum etiam ad imitandum perfecte exprimere voluisfe videtur; ita ut et ejus facta, mores, inftituta, et quae, et quomodo docuerit; quae maximi, quae parvi momenti, quae utilia, necesfaria, quae inutilia, futilia habuerit, plene et vere fint tradita. Hac tamen in effigie, Socratem neque phyficam docentem, neque admonentem juvenes, ut in ea fe exercerent, usquam videris. Nam quae *Memorab. Lib. I. C. IV.* atque Lib. IV. C. III. de rerum naturalium contemplatione dicuntur, quis non videt, ea ad theologiam naturalem, aut potius ad teleologiam, haud quaquam vero ad phyficam esfe referenda, tantumque differre ab iis, quae in phyficis aguntur, quantum diverfi funt fines atque σκόποι a caufis et viribus, quae fini illi perfequendo infervire posfint. Hae duae artes, quarum altera, ut ita dicam, primarias, altera fecundarias caufas confiderat, non folum nomine, fed etiam genere toto funt disjunctae (*a*).

Ex his jam verifimile fit, Socratem phyficae ftudium non liberale, neque fatis dignum, quo familiarium animi imbuerentur, judicasfe. Nam fi quis erit, qui fretus testimonio XENOPHONTIS *Lib. IV. C.* 7, § 1. „ Quae virum honestum et bonum fcire oportet, ea Socrates, fi ipfe fciebat, cupidisfime (προθυμότατα) docuit. Cujus autem ipfe minus erat peritus (ἀπειρότερος) ad peritos familiares, ut ab ipfis inftituerentur, deducebat."

Hoc

(*a*) LAERTIUS una cum omnibus fere antiquis has duas artes commiscuit. Lib. II. Segmento 45. „ Videtur mihi Socrates, inquit, de Phyficis quoque rebus disputasfe, „ quoniam etiam de providentia (πρόνοια) quaedem docet, ut Xenophon narrat."

Hoc dicat, fieri potuisse, ut earum rerum, quae in physica traduntur, non contemtione sed inscitia, has ipse docere noluerit, verum ad magistros, a quibus docerentur, miserit familiares — non equidem negabo, haec per se fieri potuisse, nullam autem id mihi probabilitatis speciem habere videtur.

Saepius enim, atque haud indocte de physicorum discrepantia disserebat, atque nos, Xenophonti fidem habentes, eum satis peritum fuisse existimabimus geometriae atque astronomiae, non solum illarum communium, atque levium, quae in metiendis agris, in dividendis et determinandis diei, mensis, atque anni temporibus, sed earum etiam, quae in gravioribus contemplationibus versarentur, quaeque ea aetate quodam modo aditum aperire ad physicam disciplinam, ipsiusque vel quasdam partes constituere possent (vide *Memorab.* Lib. IV. C. 7. § 3. et § 5.)

DE GEOMETRIAE STUDIO.

Verum cum persuaderi nobis non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velimus, quaeramus argumenta magis explorata ad rem confirmandam aut negandam; atque primum videamus, quid de ipso Geometriae atque Astronomiae studio professus sit. Hae enim artes cum Physica tam arctis nexae sunt vinculis, ut qui illas negligat atque contemnat, Physicam haud quaquam diligenter colere possit.

XENOPHON (*a*) haec refert: ,, Socrates, quantum cujusque honestae artis homo liberaliter educatus peritus debeat esse, docebat, veluti (*b*) ,, Geometriae tantum, donec posset, ubi opus esset, recta metiendi ,, ratione agros vel accipere, vel tradere, vel distribuere, vel ad opus fa-

(*a*) Lib. 4. C. 7. § 2. Memorab.

(*b*) αὔτικα. Alii vertunt *statim ab ineunte aetate.* Accuratior magisque huic loco conveniens est interpretatio Ernesti, qui in adnotatione ad hunc locum vocis αὔτικα vim explicavit.

„ faciendum, portionem agri asſignare (*a*): hoc autem tam facile disci „ posſe, ut, qui dimetiendo agro attentum animum praebuisſet, is et „ quantus et quomodo metiendus ſit ager, ſimul cognosceret. Verum hujus „ artis etiam diſſiciliores, reconditasque quaestiones discendo complecti „ velle (*b*) reprehendit, etſi in iis explicandis non rudis erat (*c*). Tantum „ enim abesſe dicebat, ut aliquam in iis utilitatem perſpiceret, ut „ hominis vitam conſumere, eamque a multis aliis, iisque utilibus „ doctrinis detrahere ſibi viderentur".

Hinc manifestum est, Socratem a ceteris Geometriae partibus eam partem ſepoſuisſe, quae in uſu quotidiano, in dimetiendis agris verſatur, (quam nostri homines ad prima Geometriae practicae elementa referunt) eamque unam familiaribus, in qua elaborarent, reliquisſe, finesque hic circumſcripſisſe non eos, quos ultra nullos omnino fructus haec ars afferre posſet, ſed quos ſi praetergresſa esſet, publicis privatisve Athenienſium rebus, quales eo quidem tempore esſent, emolumento esſe deſineret. Vere igitur facillimum tale Geometriae dixit ſtudium, quippe quod jam fere unius diei exercitatione comparari posſet.

Geometres igitur a Socrate ab omni ſocietate cum Phyſicis et Astronomicis repellitur; arcetur prorſus ab investigandis curſu, orbe, magnitudine, intervallo ſtellarum, motu corporum terrestrium, quantitate virium, obſtaculorum, atque ſimilium; excluditur, ſicuti operarius, ab omni

---

(*a*) Secuti ſumus Ernestum in interpretando *τὸ ἔργον ἀποδείξαθαι*, quod aliquantum obſcurum est. Illustrari potest loco apud Herodotum L. I. 124 *τοῖσι μεν δὴ ἀποδέδεχθαι ἐκ τῶν λιθοτομιέων ἕλκειν λίθους*. Laërtius ſummatim, quae Xenophon tradidit, his verbis refert: „ *μέχρι ἂν τις μέτρῳ δύνηται γῆν τε παραλαβεῖν*, „ *καὶ παραδοῦναι*". Lib. 2 § 32

(*b*) *τό μέχρι τῶν δυσξυνέτων διαγραμμάτων γεωμετρίαν μανθάνειν*.

(*c*) Theodorum Cyrenaeum praeceptorem Geometriae habuerat Socrates, ut est apud MAX. TYR. *Disſert. XXII.* Vixit hic certe Socratis tempore (*Memorab.* Lib. IV. Cap. II. § 10).

omni doctrina, ac tantum in agros, prata, tanquam in aliquod pistrinum detruditur atque compingitur. Qualem si quis nostris temporibus de Geometriae studio tulisset sententiam, is profecto videretur omne accuratius physices studium contemtui habere. Quid enim aliud est radicum fibras, quibus e terra succum trahit, evellere, nisi arbori exitium parare. Neque haec ita dico, ut Socratis tempore jam satis perspectum putem, quibus et quot arctissimis vinculis hae duae artes sint conjunctae, quod, quam absurdum sit, me non fugit. Sed si in Geometrica arte tantos progressus habebat Socrates, quantos habere illis temporibus licitum erat, non possum pro acutissimo ejus ingenio non concludere, ipsi persuasum fuisse, si naturae leges atque vires investigare hominibus concessum sit, id praecipue Geometria duce fieri oportere. Ex qua argumentatione, si justa est, id effici mihi videtur, Socratem Physices studium aut per se ipsum vanum atque leve putasse, aut, quoniam hominum vires superaret, nullum inde fructum percipi posse, statuisse.

DE ASTRONOMIAE STUDIO.

De fundamento, quo physica disciplina nititur, satis est dictum. Jam ad ipsius partes aedificii progrediamur, in quibus ante alias Astronomia enumeranda est, de cujus artis studio recte instituendo apud XENOPHONTEM (a) haec legimus.

,, Admonuit etiam familiares, ut Astronomiae hactenus periti essent, ut
,, noctis, mensis atque anni tempora cognoscere possent, quoniam, qui
,, haec tempora recte discernerent, certa haberent indicia in itinere, in
,, navigatione, in excubiis nocturnis, et in omnibus rebus, quae certo
,, quodam noctis, mensis, aut anni tempore peraguntur. Haec autem
,, omnia facile ab iis, qui noctu venantur, qui naves gubernant, atque
,, a multis aliis, quibus curae est, ut id sciant, disci posse. At vero
iu

(a) Lib. 4. C. 7. § 4. *Memorab.*

„ in Astronomiae ſtudio eo progredi, ut etiam ea, quae non communi „ coeli ſed proprio motu ferantur, et planetae et ſtellae vagae cognoſ„ cantur, (a) atque in explorando, quae ſint eorum intervalla a terra, „ qui orbes, quae cauſae, vires conſumere, id valde diſſuaſit. Nullam „ in iis, quorum tamen rudis non erat, ſe utilitatem videre dicebat; „ contra, ad abſumendam hominis vitam haec ſtudia idonea esſe, atque „ a multis, iisque utilibus rebus eum prohibere".

Ex his liquet, non minus Astronomiam, quam Geometriam in anguſtias esſe compulſam, cum utilitas ad cultum vitae, tanquam unica lex, qua utriusque fines determinentur, conſtituta ſit. Verum, demus hoc, quod quaſi ſuo jure ſibi ſumſit Socrates; accipiamus legem. Utraque ars, *quatenus a noſtris exercetur*, majore ex parte ſalva erit, atque campus ſatis latus, in quo ejus ſtudioſi operam ſuam collocare posſint, aperietur. Univerſam Arithmeticam mercatores; Algebram, et Geometriam illam, quam vocant ſublimiorem, artifices et mechanici; Astronomiam ſphaericam Navigatores et Geographici, alias partes alii jure ſuo ſibi praecipue vindicabunt, iidemque prudenter non omnia, quorum uſus nondum perſpicuus atque certus ſit, misſa facient, ſed, quae veriſimile ſit, ut in poſterum fructus ferant, conſervabunt. Noluit haec Socrates. Quicumque arboris rami nondum fructus tulerant, eos amputavit. Itaque quod reliquum fecit ex Aſtronomia ejusmodi est, ut quivis diligens agricola et prudens nauta, qui ſatis cautus non niſi concluſum mare ingrediatur, ejus ſint peritisſimi, atque, quod ne ſuſpicati quidem ſunt, Astronomi merito habeantur. Mittatur ad hos, qui in id ſtudium incumbere velit, neque futilibus, et vanis quaestionibus de legibus motus, de viribus, de cauſis aliisque molestis et operoſis negotiis implicatus ſit. Hi enim magistri neque tantum negotii habebunt, neque exhibebunt discipulis.

DE

(a) μέχρι τοῦ καὶ τὰ μὴ ἐν τῇ αὐτῇ περιφορᾷ ὄντα, καὶ τοὺς πλάνητας τε καὶ ἀσταθμήτους ἀστέρας γνῶναι.

DE PHYSICES STUDIO.

His confideratis, negari non potest, Socratem, testimonio Xenophontis, omne accuratius naturae ftudium inane, atque leve, phyficarumque rerum cognitionem interiorem folivagam atque jejunam existimasfe. Quae fequuntur, non minus firmas hujus fententiae rationes fuggerent, atque ex iis quae diximus, facile explicabuntur.

Pergit Xenophon (*a*). Omnino dehortabatur eos, ne rerum coelestium fpeculatores esfent, inquirentes, quomodo fingula deus moliatur (ὅλως δὲ τῶν οὐρανίων, ᾗ ἕκαστα ὁ θεὸς μηχανᾶται, φροντιστὴν γίγνεσθαι, ἀπέτρεπεν) „ Haec enim esfe procul ab hominum cognitione, neque diis gratum „ fore, quae ipfi hominibus patefacere noluisfent, ea inquirere, neque qui „ haec meditarentur, non in periculo verfari, ne eodem modo, quo Ana- „ xagoras, delirarent, qui maxime gloriaretur, quod deorum machinas „ (μηχανὰς) explicarat".

Hujus Anaxagorae dementiae, ut vult, argumenta, ex ejus fententia de folis natura ducta, fequente paragrapho afferuntur; verum tota haec paragraphus vix Xenophonte, ne dicam Socrate, fatis digna esfe videtur, eamque etiam veluti fcioli additamentum damnavit Edwards.

Voce τὰ οὐράνια hoc in loco fignificantur omnes quaestiones, quae ad coelestia corpora, ad ftellas, folem, planetas, lunam, ad eorum motum, naturam, intervalla pertinent. Hanc latam verbi fignificationem, quae praecipue astronomicas et phyficas quaestiones complectitur, mihi requirere videntur, et quae antecedunt, et quae fequuntur.

ᾗ ἕκαστα ὁ θεὸς μηχανᾶται igitur est, quibus legibus atque viribus deus fingula moliatur, aut quae fit motus, ordinis, naturae horum corporum ratio. Hae leges defignantur voce μήχαναι, quae proprie indicat artificia feu adminicula, quibus quis utitur ad aliquid efficiendum. Leges enim et vires, quibus phaenomena fiunt, intereunt, variant, agunt, quafi adminicula

(*a*) c. 1. § 6.

cula ſunt, quibus mundus a deo regitur. Ergo falſa est illa interpretatio nullaque ratione ſtabilienda, quae ſtatuat, ad perobſcuras illas quaestiones Cosmogonicas et delirantium ſomnia de origine mundi, de primis cauſis, ceteras, tantummodo respexisſe Socratem, non autem ad eas, in quibus humanum ingenium maximo cum fructu atque delectione ſuas facultates exercere posſit, quaeque jure ad ea referantur *ἃ τοῖς ἀνθρώποις ἔδωκαν οἱ θεοὶ μαθοῦσι διακρίνειν.* (Lib. I. Cap. I. § 9. *Memorab*).

Simillima ratio est loci (Cap. I. Lib. I. § 11—16.) ubi de docendi ratione Socratis haec narrantur.

„ Tantum aberat, ut de natura Univerſi eadem ratione, qua plurimi „ alii, disſereret, inquirens quomodo, qui a Sophistis *κοσμος* appella- „ tur, ſe habeat, atque quibus cauſis et legibus omnia coeli phaenomena „ oriantur, ut ostenderet, inſanire qui talia meditarentur (*οὐδὲ γὰρ περὶ τῆς* „ *τῶν πάντων φύσεως, ᾗπερ τῶν ἄλλων οἱ πλεῖστοι, διελέγετο, σκοπῶν,* „ *ὅπως ὁ καλούμενος ὑπὸ τῶν σοφιστῶν κόσμος ἔχει, καὶ τίσιν ἀνάγκαις* „ *ἕκαστα γίγνεται τῶν οὐρανίων*). Atque primum de iis haec inquirebat: „ utrum jam ſatis ſe nosſe humana (*τἀνθρώπινα*) putantes, ad ejusmodi „ ſtudia progrederentur, an, relictis rebus humanis, divinas contemplan- „ tes *τα δαιμόνια*) recte ſe agere exiſtimarent. Mirabile ipſi videbatur, non „ jam ex eo ipſis perſpicuum esſe, has divinas res ab hominibus investi- „ gari non posſe, quod illi etiam, qui plurimum de his disputationes „ jactarent, non inter ſe convenirent, ſed eadem inter eos esſet quam „ furioſorum ratio; cum alii, unum esſe omnia, alii infinitam multitu- „ dinem, omnia ſemper moveri alii, alii nihil unquam moveri, alii „ omnia fieri et interire, alii nihil unquam aut fieri aut interire opina- „ rentur. Atque etiam haec de illis conſiderabat: utrum, veluti qui „ humanas res didicerunt, id existimant, ſe quidquid didicerint, et ſibi „ ipſis et aliis, quibuscunque voluerint, facere posſe, idem et existi- „ ment illi divinarum rerum perſcrutatores (*τὰ θεῖα ζητοῦντες*) ſe quoque, „ posteaquam cognoverunt, quibus legibus omnia fiant, et ventos et „ aquas et tempestates aliaque his ſimilia, ſi quo ſibi opus ſit, facturos „ esſe — an nihil tale ſperent, ſufficiatque ipſis cognoscere tantummodo,

„ quo-

„ quomodo fingula hujus generis fiant. Atque haec de iis, qui talia „ tractabant, proferebat, ipfe autem femper de humanis disferebat".

Quis est, qui accuratius perpenfis quae hoc loco memorantur, non colligat, Cosmogoniam, quae mundi originem, caufasque primarias, atque Phyficam, quae, quibus legibus ea quae in mundo funt, in fe invicem agant, caufasque fecundarias investigare conetur, nequaquam, ut res exigat, distinctas esfe, verum ita inter fe confufas et perturbatas, ut nihil inter eas interesfe videatur, atque utraque tanquam ejusdem criminis rea eodem fupplicio afficiatur.

Nam primum vocis φύσις vis tam late patet, ut et indolem, et vim, conftitutionem, quin etiam fubftantiam indicare posfit: quare orationis contextu restringi, justisque finibus includi debet. Quae hoc loco ei fubjicienda fit fententia, indicatur iis, quae fequuntur; neque dubium est, quin quaestiones περὶ τῆς τῶν πάντων φύσεως partim ad Cosmogoniam, partim ad Phyficam referendae fint. Etenim κοσμος (*a*) est coelum ftelliferum, atque τὰς ἀνάγκας fatis commode fic interpretabimur, ut idem fit, quod nostri phyfici naturae leges atque rerum naturalium caufas appellant. Caeterum recte conferemus hunc locum cum eo, quem proxime explicavimus, neque recufabimus, ne haec verba σκοπεῖν τίσιν ἀνάγκαις ἕκαστα γίγνεται τῶν οὐρανίων atque illa Φροντιστὴς γίνεσθαι τῶν οὐρανίων ᾗ ἕκαστα ὁ θεὸς μηχανᾶται eodem fere fenfu accipiamus, idemque ftatuamus περί τῶν μηχανῶν τῶν θεῶν atque περί τῶν ἀναγκῶν. Hinc effici quidem videatur, tantummodo de phyficis rebus hoc loco fermonem esfe, verum illae de mundo quaestiones, quae § 14 memorantur, nonnifi in Cosmogonicis et Ontologicis funt numerandae, eorumque nullam curam habet phyficus.

Est autem duplex lectio ὅπως ὁ κόσμος ἔχει et ὅπως ὁ κόσμος ἔφυ, quarum prior

(*a*) Phavorinus apud LAËRTIUM Lib. VIII. Sig. 48. Galenus, aliique memorant, Pythagoram primum coelum appellasfe κοσμον: quare forfitan hoc loco non tantum Sophistae, fed etiam Pythagorei a Xenophonte notantur.

prior pluribus manuſcriptis, atque etiam Euſebii et Stobaei citatione confirmatur. Utram eligas, nihil ad ea, quae nos concluſimus. Si lectio ἔχει vera est, ad doctrinas astronomicas magis reſpicitur, ſin ἔφυ, ad cosmogonicas.

Proximum est, ut, quaenam verborum τὰ ἀνθρωπινα, τἀνθρώπεια, τὰ δαιμόνια vis ſit, inquiramus, quae quidem recte interpretari, permagni interest ad ea, in quibus verſatur nostra disputatio. Quorum autem verborum ſignificatio cum non minus quam hujus locutionis ἡ τῶν πάντων φύσις vaga ſit, ea mihi in explicando potisſimum ingredienda via videtur, qua auctoris verba ex ipſius dicendi argumentandique ratione definiantur.

Ac primum quidem τὰ ἀνθρώπεια et τὰ ανθρώπινα idem prorſus ſignificare videbimus collatis locis. Lib. I. Cap. I. § 12. 15. 16 et Lib. I. Cap. IV. § 16, Lib. IV. Cap. VI. § 5. ubi utrumque verbum promiscue de eadem re uſurpatur. Euſebius etiam pro ἀνθρώπεια Lib. I. Cap. I. § 15. quod est in textu, legit ἀνθρώπινα. Quae deinde his verbis ſubjecta ſit vis, ſequentia loca indicant. Etenim Lib. I. Cap. I. § 19. videmus ad ἀνθρώπεια referri mores hominum, virtutes, vitia, ea quae ad civitatem, ad reipublicae administrationem pertinent, aliaque ejusmodi, quae ſcire honestum bonumque virum decet (ἃ τοὺς μὲν εἰδότας ἡγεῖτο καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἶναι) Ac Lib. I. Cap. IV. § 16. inter τἀνθρώπεια recenſentur civitates, populi, „οὐχ ὁρᾷς, ὅτι τὰ πολυχρονιώτατα καὶ σοφώτατα τῶν ἀνθρωπίνων, πόλεις „καὶ ἔθνη, θεοσεβέστατά ἐστιν,"

Porro Lib. IV. Cap. VI. § 5. omnes hominis actiones morales relatae ad ſocietatem atque communionem hominum τἀνθρώπινα πράγματα vocantur: „οἱ γε τοῖς ἀνθρώποις καλῶς χρώμενοι, καλῶς πράττουσι τἀνθρώπεια „πράγματα".

Atque haud ſcio, an eadem ampla vis tribuenda ſit iis, quae § 15. Lib. I. Cap. I. Memorab. τἀνθρωπεια vocantur, quaeque Ernesti (a) tantummodo dici voluit de artibus opificum. Etenim tam ea quae ſequuntur,

(a) Vide Clavem Ciceronis ad vocem *divinus*.

tur, quam argumentationis et similitudinis vis et ratio id mihi requirere videntur. Ac ne quis dicat, huic interpretationi obstare τὸ μανθάνειν τἀνθρώπεια atque τὸ ποιεῖν τινι τἀνθρώπεια, quasi id minus commode de actionibus moralibus dici possit: nam e sententia Socratis virtutem discere (μανθάνειν) et discendo augere possumus: ut e. g. Lib. II. Cap. 6. § 39., ὅσαι δ' ἐν ἀνθρώποις ἀρεταὶ λέγονται, σκοπούμενος εὑρήσεις πάσας μαθήσει τε καὶ μελέτῃ αὐξανομένας. Eadem fere dicit Lib. III. Cap. IX. § 1. — atque Lib. 1. Cap. II. § 19. justitia et temperantia iis adnumerantur, ὧν μάθησις ἐστιν. Conferatur etiam Lib. IV. Cap I. § 1. ubi memoratur τὸ μανθάνειν ἀνθρώποις τε καὶ ἀνθρωπίνοις πράγμασιν εὖ χρῆσθαι.

Deinde verbum ποιεῖν loco τοῦ πράττειν commode applicatur actionibus moralibus; id quod multis, si opus sit, exemplis e Xenophonte petitis confirmare possimus: veluti Lib. IV. Cap. V. § 3. ἴσως γὰρ ἐλεύθερον φαίνεταί σοι τὸ πράττειν τὰ βέλτιστα. εἶτα τὸ ἔχειν τοὺς κωλύσοντας τὰ τοιαῦτα ποιεῖν, ἀνελεύθερον νομίζεις, ubi ποιεῖν et πράττειν promiscue de actionibus moralibus adhibentur. Sic etiam apud eundem τὰ κάλλιστα, τὰ αἴσχιστα, τὰ δίκαια ποιεῖν.

Ex iis, quae huc usque explicavimus, illustrari potest verbum δαιμόνιον, quoniam his locis opponitur τῷ ἀνθρώπειον. Ad quaestiones περὶ τῶν δαιμονίων referuntur Physicae et Cosmogonicae περί τῆς τῶν πάντων φύσεως, περὶ τοῦ, ὅπως ὁ κόσμος ἔχει (aut ἔφυ), περὶ ταῖς ἀνάγκαις, αἷς γίγνεται τὰ οὐράνια, ut ex § 12. collata cum Lib. I. Cap. I. § 11. patet. Deinde illuc referuntur Ontologicae et Metaphysicae quaestiones περὶ τοῦ ὄντος, περὶ τοῦ πάντα ἢ οὐδὲν κινεῖσθαι, γίγνεσθαι, ἀπόλλυσθαι § 14. et Physicae περὶ τοῦ ᾗ ἄνεμοι, ὕδατα, ὧραι ᾗ τοιαῦτα γίγνονται.

De his autem δαιμονίοις, atque de illorum perscrutatoribus haec professus est Socrates:

Τὰ δαιμόνια οὐ δυνατόν ἐστιν ἀνθρώποις εὑρεῖν Lib. I. Cap. I. § 13. conf. Lib. 4. Cap. I. § 6. οἱ φροντίζοντες τὰ δαιμόνια εἰσιν μωραίνοντες. (§ 11.) καὶ τοῖς μαινομένοις ὁμοίως διακεῖνται πρὸς ἀλλήλους (§ 13.) κινδυνεύουσι παραφρονεῖν καὶ οὐ χαρίζονται θεοῖς. Lib. IV. Cap. VII. § 6. Quoniam autem, ut satis jam demonstratum est, ea quae physica inquirit, nequa-

 quam

quam *ἐν τοῖς ἀνθρωπείοις*, ſed prorſus *ἐν τοῖς δαιμονίοις* ſunt ponenda, certisſima est concluſio, haec attributa e Socratis ſententia omnino Phyſicae ejusque artis ſtudioſis convenire (*a*).

II. Auctoritas Xenophontis.

Jam vero, ut ea, quae disputavimus, paucis complectamur, Xenophontis ſententia haec est, Socratem *omne* Phyſices ſtudium tanquam inutile, vanum, rejecisſe; quod autem ad Geometriam atque Astronomiam, eas tantummodo partes admiſisſe, quae communi in vita, quotidianisque Athenienſium ſuae aetatis negotiis verſarentur.

Quae autem fides, quae auctoritas huic testimonio adhibenda est? Multis enim, etiam nostra aetate, parum illud firmum esſe videtur, quare nos ſine validis certisque argumentis ei confidere neque posſumus neque debemus.

Exploremus ergo nonnullas eorum rationes, a quibus ea, quae retulit Xe-

---

(*a*) Cum Xenophonte omnino conſentit CICERO *Acad. Quaest.* Lib. I. Cap. IV. § 15. et *Tusc. Disp.* Lib. V Cap. IV. § 10., qui *δαιμόνια* expresſit vorbis, *coelestia*, *res occultae*, *ab ipſa natura involutae*, quae ſunt procul a nostra cognitione, vel, ſi maxime cognita ſunt, nihil tamen ad bene vivendum. Ad *ἀνθρώπεια* refert ea, quae ad vitam communem pertinent, virtutes, vitia, res bonas, malas, mores. Confer etiam *Acad. Quaest* Lib. IV. Cap. XXXIX § 123. LAËRTIUS Lib II Sig. 20. *Σωκράτης γνοὺς δέ τὴν Φυσικὴν θεωρίαν μηδεν εἶναι προς ἡμᾶς* etc. Vide etiam GELLIUM N. A. Lib. XIV. Cap. III „ Praeterea putant id quoque ad ista, quae dixi, accedere, „ quod Xenophon negat, Socratem de coeli atque *naturae cauſis*, *rationibusque* unquam „ disputavisſe; ac ne disciplinas quidem ceteras, quae *μαθήματα* Graeci appellant, „ quae ad bene beateque vivendum non pertinerent, aut attigisſe aut comprobasſe. „ Idcirco turpiter eos mentiri dicit, qui disſertationes ejusmodi Socrati attribuerent. „ Hoc autem, inquiunt, Xenophon cum ſcripſit, Platonem videlicet notavit, in cujus „ libris Socrates de Phyſica, Muſica et Geometria disſerit".

Xenophon, in dubium vocantur, aut certe vocari videntur. Zeune, unus ex memorabilium Socratis editoribus (*a*), haec notat:

,, Ceterum Socrates *non omnino* improbabat Geometriae et Astronomiae ,, ſtudium, ſed Phyſicorum ſuae aetatis morem, qui *omnem* operam ,, collocabant in quaestionibus difficilioribus de figura terrae etc. neglecta ,, *prorſus* philoſophia morali. Atque ſane ab uſu vitae communis et mo- ,, ralis, quam ſolam ſpectabat philoſophus, alienum erat *ſummum* ejus- ,, modi rerum ſtudium".

Verum quaerere hoc loco liceat, num ſatis conſtet, Phyſicos, Geometras, Astronomos, Socratis aetate, omni opera in quaestionibus difficilioribus de figura terrae etc. collocata, philoſophiam moralem *prorſus* neglexisſe? Citetur testis Anaxagoras, qui, ut vidimus, prae aliis a Xenophonte notatur. Hiccine vir, ſummus pro eo tempore in maximarum rerum ſcientia, cujus doctrina inſtructus Pericles praestantisſimus orator (*b*), atque ſapientisſimus reipublicae exſtitit gubernator (*c*); qui docuit, esſe mentem divinam infinitam, ad omnem rerum naturam pertinentem, cujus vi ac ratione omnium rerum deſcriptio et motus deſignentur et conficiantur (*d*), qui Solis defectibus explicatis animum a ſuperſtitione liberavit (*e*); qui primus ſtatuit, id ſpectasſe Homerum in di-

(*a*) Ad locum Memorab. Lib. IV. Cap. VII. § 3.

(*b*) Valerius Maximus Lib. VIII. Cap. 11. de eclipſi Solis Periclis tempore narrat: cum obſcurato repente ſole inuſitatis perfuſae tenebris Athenae ſolicitudine agerentur, interitum ſibi caelesti denuntiatione portendi credentes, Pericles procesſit in medium, *et quae a praeceptore ſuo Anaxagora pertinentia ad ſolis et lunae curſum acceperat, disſeruit: nec ulterius trepidare cives ſuos vano metu pasſus est.* Rem paulo aliter narrat Plutarchus in *vita Periclis*, qui quantum fructus Anaxagorae doctrina Pericli attulerit, optime expoſuit.

(*c*) Socrates ipſe in Phaedro haec profitetur. Vide etiam Cic. *Orator.* 4. § 15. et Plutarchum in *vita Periclis.* Anaxagora quoque Thucydides praeceptore uſus est.

(*d*) Cic. de *Orat.* III. Cap. XXXIV.

(*e*) Cic. de *Nat. Deor.* I. Cap. II. Plutarchus in Pericle.

divinis ejus, quae ſtudioſe legerat, carminibus, ut virtutem et juſtitiam allegoricis narrationibus depingeret (a); Anaxagoras, inquam, tantus vir, ab uſu vitae communis et moralis alienus erat (b)? Num ingenium his ar-

---

(a) LAËRTIUS Lib. II „δοκεῖ δέ πρῶτος τὴν Ομήρου ποίησιν ἀποφήνασθαι „εἶναι περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης".

(b) Fateor, me dubitare, an *ſatis accurate* Socrates *primus*, ut CICERO vult, (*Disput. Tusc* Lib. V Cap. IV) philoſophiam dicatur coëgisſe de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere. LAERTIUS Lib. II. 16. memorat, Socratem Ethicam introduxisſe, verum addit: ἔοικε δέ καὶ Αρχέλαος (Socratis magister) ἅψασθαι τῆς ἠθικῆς· καὶ „γὰρ περί νομῶν πεφιλοσόφηκε, καὶ καλῶν καὶ δικαίων, παρ'οὗ λαβὼν „Σωκράτης τῷ αὐξῆσαι εἰς τὸ εὑρεῖν ὑπελήφθη — ἔλεγε δὲ τὸ δίκαιον εἶναι „καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλά νόμῳ". — Neque etiam veriſimile est, Pythagoreos, ut hoc exemplo utar, a philoſophia, quam exercerent, ethicam excluſisſe. Secundum LAERT. Lib. VIII. 6. Pythagoras tria volumina (συγγράμματα) ſcripſit παιδευτικὸν, πολιτικὸν, φυσικὸν, atque Lib. VIII. 7. Aristoxenus, qui Pythagoreos adhuc viderat (Lib VIII. 4.) narrasſe dicitur „πλεῖςα τῶν ἠθικῶν δογμάτων „λαβεῖν τὸν Πυθαγόραν παρὰ Θεμιστοκλείας τῆς ἐν Δελφοῖς". Quod de precibus diis adhibendis cenſebat Pythagoras (Lib. VIII. 9.) omnino convenit cum eo, quod Socrates; atque (Lib. VIII. 16) idem Pythagoras narratur: „ἄλλους τε „πολλοὺς κατά τὴν Ἰταλίαν ἀπεργάσασθαι καλούς τε καὶ ἀγαθοὺς ἄνδρας, ἀταρ καὶ Ζάλευκον καὶ Χαρώνδαν τοὺς νομοθέτας". Cui opinioni asſentire videtur CICERO (Tusc. Disp. I. 16) „Pythagoras tenuit magnam illam Graeciam cum ho„nore et disciplina tum etiam auctoritate, atque (Lib. IV. 1.) Cum Pythagorae discipli„nam et inſtituta cognoscerent, Numaeque aequitatem et ſapientiam a majoribus ſuis „accepisſent, propter vetustatem eum, qui ſapientia excelleret, Pythagorae auditorem „fuisſe crediderunt". Accuratius hanc ſuam de Socratis philoſophia morali ſententiam exponere videtur CICERO de Finibus L V. 29. „Bono animo esſe, id Democritus „ſummum bonum, εὐθυμίαν et ſaepe ἀθαμβίαν appellat, id est, animum terrore libe„rum. Sed haec, etſi praeclara, nondum tamen et perpolita. Pauca enim, neque ea „ipſa enucleate ab hoc de virtute quidem dicta. Post enim haec in hac urbe primum „a Socrate quaeri coepta". Conf. Laert. Lib. IX. 37.

Non ab re mihi videtur fore, hic duo apud Ciceronem loca notare, in quibus etiam hi.

artibus ornare, atque mores ſimul philoſophiae praeceptis excolere, quaſi inter ſe repugnantia merito habeantur, nullamque fidem mereantur, quae apud OVIDIUM *Fastor.* Lib. I ?

Felices animos, quibus haec cognoscere primis
  Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile est, illos pariter *vitiisque* locisque
  Altius humanis exſeruisſe caput.
Non Venus et vinum ſublimia pectora fregit,
  Officiumque fori, militiaeve labor;
Nec levis ambitio, perfuſaque gloria fuco
  Magnarumque ſames ſollicitavit opum".

Acerrimam profecto cladem illam in bello contra Syracuſanos, ut recte obſervat Plutarchus in Nicia, non accepisſet Athenienſium respublica, ſi navium principes, Anaxagorae de eclipſibus lunae atque ſolis doctrina imbuti, a ſuperſtitione liberati fuisſent. Si Phyſicorum atque Astronomorum cauſam contra Socratis accuſationem defendere deberemus, non ineptum foret hoc exemplo demonſtrare, quam parum conſiderate Phyſicam pro-

---

hi philoſophi cum Socrate comparantur. Postquam (*Acad. Quaest.* 39.) ſententias Democriti, Anaxagorae, Pythagoreorum atque aliorum *περί τῶν Φυσικῶν* irriſerat". *Liber igitur*, ait, *a tali irriſione Socrates, qui nihil istorum ſciri putat posſe*". Verum in iisdem Quaest. Acad. I. 12. „ harum rerum (*Φυσικῶν*) obſcuritas, quae ad con-„ fesſionem ignorationis adduxerat Socratem, et veluti amantes Socratem, Democritum, „ Anaxagoram, Empedoclem, *omnes paene veteres, qui nihil cognosci, nihil percipi,* „ *nihil ſciri posſe dixerunt: angustos ſenſus, imbecillos animos, et* (*ut Democritus*) *in* „ *profundo veritatem esſe demerſam: opinionibus et inſtitutis omnia teneri: nihil veritati* „ *relinqui: deinceps omnia tenebris esſe circumfuſa dixerunt*".

Num etiam Sophistam Prodicum Chium, qui egregiam compoſuerat fabulam de Hercule, qua Socrates ipſe in discipulis ad virtutis ſtudium cohortandis utebatur (Xenoph. Memorab. II. 1. § 21.) merito iis adnumeremus, qui philoſophiam moralem neglexerint?

prorſus rejecerit, Geometriam atque Astronomiam angustisſimis limitibus circumſcripſerit, etiamſi concedatur, quod concedi nequit, in his disciplinis tantummodo uſum communis vitae atque moralis ſpectandum esſe. Profiteor, me valde mirari, in hanc ſententiam incidisſe Socratem, neque omnino asſentiri posſum SCHNEIDERO, qui ad Lib. IV. Cap. VII. 3. haec notat.

„ In tanta artium mechanicarum infantia, et inepto Cosmologorum „ more, Geometriam et Astronomiam ad res intellectum humanum trans- „ ſcendentes accommodare conantium, non mirabimur ſententiam Socra- „ tis, qui mores hominum excoli malebat, quam victum ingenium artium „ ſubtilitate".

Deinde ſi ZEUNIO atque SCHNEIDERO credimus, *ſummum* illud harum artium ſtudium, quod philoſophiae moralis ſtudio detrimento esſe potest, aut ad res, intellectum humanum ſuperantes, accommodatur, *ſolum* a Socrate reprehenditur. Haec autem ſententia, quam parum cum Xenophontis testimonio conveniat, non est, quod amplius doceam. Nullus affirmare dubito id, quod ex iis, quae concluſimus, jam exploratum est, eos, qui ita nobis occurrant, aut, quid voluerit Xenophon, non recte intellexisſe, aut ejus testimonio non ſatis firmam fidem adhibuisſe; quod posterius, cum, quae explicavimus loca, nequaquam ambigua ſint, veriſimilius est.

Quae vero Zeunius et Schneiderus, aliique tanquam dubii non ſatis distincte ſignificarunt, ea C. F. HINDENBURG, vir literarum ſtudiis inſignis, Geometres celeberrimus, fidentius affirmat in Animadverſionibus ad Socratis Memorabilia, quae ſeparatim editae ſunt Lipſiae 1779. Non negat, Xenophontem ita rem expoſuisſe Memor. Lib. IV. 7. ut appareret, Socratem Geometriae atque Astronomiae contemptorem fuisſe, idemque convenit cum Xenophonte, affirmante, harum artium magistrum ſuum non rudem fuisſe, easque non docuisſe. Ut autem Socratem a reprehenſione Mathematicorum et Astronomorum liberet, rem in eam partem explicare conatur, quaſi Xonophon, ipſe illarum artium expers, *magistri mentem non recte intellexerit*. Sed audiamus ipſum ſuam ſententiam expo-

ponentem (pag. 193.) „ Socrates, cum haec ſtudia aliis relinqueret „ tractanda, non id fecit propterea, quod ea contemneret, aut parum „ habere utilitatis cum Xenophonte existimaret, ſed quia animadver- „ tisſet ſolam (?) ſuo tempore Phyſicam dominari; moralem Philoſophiam, „ quae de officio praeciperet, nullam plane (?) esſe. De coelo itaque, ut „ ajunt, in terram devocavit philoſophiam Socrates, ſtultum esſe existi- „ mans, relictis rebus humanis, quarum cognitione humanae vitae felici- „ tatem contineri potisſimum docebat, ſtatim ad res divinas contemplan- „ das accedere, aetatemque in eorum ſtudio conſumere; in quo recte „ judicasſe Socratem, neminem facile, qui dubitet, reperiemus. Haec „ autem cum ſaepius, et, ubi occaſio daretur, non *ſine vehementia* in- „ culcaret discipulis Philoſophus, addens ſimul, eum, qui de officio „ praecepta vitae teneret, ad uſumque converteret, posſe tamen, etiamſi „ alia omnia ignoraret, boni civis et honesti viri munia recte obire; „ qui autem nesciret, ſimilem esſe mancipii; haec, inquam, cum diceret „ Socrates, Xenophon, quem et hoc caput, et reliqui libri Matheſeos „ et Phyſices expertem fuisſe testantur, in hanc fere partem interpreta- „ tus est, quaſi ea tantum ſtudia et *unice* commendasſet Socrates, quae „ ad vitam bene inſtituendam, remque publicam feliciter gerendam pertine- „ rent; ex reliquis autem non niſi cenſuisſet retinenda ea esſe, quibus „ vix ac ne vix quidem humana vita carere posſit".

Videantur haec quidem continuo ſatis probabilia. Vereor tamen, ne deligentius re conſiderata, difficilius ſit ponere, Xenophontem magistri ſententiam non recte intellexisſe, atque interpretatum fuisſe, quam probare argumentis, magistrum nimis justo has artes contemſisſe. Quod ut accuratius exponatur, videamus, quidnam univerſe de fide Xenophontis hac quidem in re probabiliter ſtatui posſit.

Magistrum, qui obſcure, aut ambigue loquitur, discipulus non recte intelligit. Hoc damus. An vero haec obſcuritas, haec ambiguitas a Socrate profecta est? a Socrate, inquam, qui, ipſius Xenophontis testimonio, omnibus modis id agebat, ut perſpicuitati conſuleret, plenamque in animis auditorum perſuaſionem efficeret; qui non univerſa oratione, aut

con-

continuata ratiuncularum ferie, fed interrogando involutam animi notionem evolvere folitus erat?

Fieri deinde potest, ut obfcuram atque incognitam quaestionem, quanquam dilucide a magistro explicetur, non intelligat discipulus. Hoc quoque damus, et libenter quidem, fi rei intelligentia difficilior est, viresque discipuli quodam modo fuperat. At, quaefo, quidnam tandem hac in caufa difficilius intellectu fuit? Illud videlicet, utrum Socrates *omnino*, an *certis quibusdam conditionibus* Phyfices ftudium disfuaderet; utrum a *tota*, an tantum a *quadam* hujus doctrinae parte alienus esfet; *quibus terminis* Geometriae et Astronomiae ftudium circumfcriberet? An tantae molis erat, hoc recte intelligere? An facultates ingenii earum artium rudis fuperabat? Quam vani igitur fint nostri conatus, qui auditoribus, ceterarum quidem artium peritis, Mathematicae autem et Astronomicae disciplinae imperitis, utilitatem harum doctrinarum atque ufum explicemus? Socratem fcilicet docentem Xenophon non intellexit, at nos docentes nostri auditores intelligent!

Denique conveniat id quoque oportet, credibile esfe, rem quamvis intellectu facilem atque perfpicuis et distinctis verbis femel vel etiam faepius a magistro explicatam non recte tamen a discipulo perceptam fuisfe, cum aut hic non fatis attentum animum praebuerit, aut alia caufa rei intelligentis impedimento fuerit. — Quid autem, fi fexcenties de ea re fermo fuit? Si fere quotidie five obiter, five accurate, five cafu, five de industria de eadem re disputatum fuit? Quod profecto nemini dubium est, qui fibi perfuafit veri investigationem praecipue ejus, quod his artibus continetur, maxime naturam attingere humanam, arctoque igitur nexu magna ex parte conjunctas esfe quaestiones de fpatio, de tempore, de rebus naturalibus, de Univerfo cum illis, quae mores atque naturam hominis fpectant, quaeque maxime (neque id immerito), Socrati placebant. Neque etiam tantam in audiendis Socratis fermonibus negligentiam nobis fingere licet in illo viro, qui magnam eorum copiam atque varietatem tam accurate literis confignavit.

Ex his merito mihi concludere videor, neque rei difficultati, neque magistri

gistri vitio, neque discipuli negligentiae attribuendum esse, quo minus Socratis sententia recte sit percepta. Quid ergo restat, quo id, quod HINDENBURGIUS vult, credibile fiat? Quid aliud nisi tardum atque obtusum Xenophontis ingenium. At vero quantus in eo debuit esse mentis stupor atque tarditas, qui rem intellectu tam facilem, cui attentum praebuerat animum, sexcenties repetitam a magistro, qui nihil celabat familiares, atque, quod ipse Xenophon testatur, accurate et perspicue docendi facultate omnibus antecellebat, non recte perceperit, atque aliter ac tradita esset, interpretatus sit. — Scilicet hic ingenii stupor atque tarditas nobis erit fingendus in Xenophonte, historico illo egregio, cujus voce Musae locutae esse ferebantur, qui mediis in occupationibus militaribus, in quibus summus erat, Memorabilia Socratis, aliosque libros conscripsit plurimos, qui inter optimos quosque merito recensentur?

Qui autem non de facultate vere dicendi, sed de voluntate dubitant, his, cum certis testimoniis careant, confugiendum est ad ea, quae voluntatem, ut a veritate deflecteret, impellere potuerint.

„ Plures dantur rationes (ita forsitan illi disserunt) cur potius hanc, „ quam exposuit, quam veram Socratis sententiam cognitam esse voluerit „ Xenophon. Quid si magistri auctoritate atque contemtione harum ar„ tium discipulus suam sententiam sustentari, ignorantiam excusari exis„ timaverit? Praeterea accusatus fuerat Socrates, quod nimis curiose res „ physicas et coelestes investigaret, quae investigatio ad Atheismum ten„ dere credebatur. Quid mirum, Xenophontem, quo melius has dilueret „ calumnias, pia fraude usum fuisse, atque Socratem tanquam ab his „ studiis prorsus alienum induxisse? Neque enim haec narrandi licentia „ plane abhorret ab ejus moribus, qui in Cyropaedia falsa cum veris mi„ rifice miscuit.

Haec sola, ni fallor, (quantum conjectura consequi licet) sunt, quae in re, de qua agitur, voluntatem movere potuerint. Quam autem vim revera habeant, nunc consideremus.

Xenophon omnium eruditorum testimonio, totiusque judicio Graeciae excelluit inter historicos accurata et justa descriptione rerum, liberi judicii

praestantia, ingenii usu et scientia perpoliti sollertia, atque simplice illo, quod veri plerumque indicium est, narrationis genere, cum gravitate atque venustate conjuncto.

Injusti atque nimis ad Pyrrhonismum, qui omnem historicam fidem evertit, propensi animi est, tam gravem auctorem sine certis argumentis fallaciae accusare. Non equidem negabo, Cyropaediam non ubivis veritatis iudicia prae se ferre, sed ficta illa personarum inductio facile explicatur ex consilio sapientissimi regis imaginem, atque optimam imperii gubernationem depingendi: quare non de historico, sed de philosopho hic judicandum est (*a*).

Sed vide, quam absurdum sit cogitare, ejusmodi quid (*b*) sibi proposuisse Xenophontem in libro, quo calumnias in virum paulo ante damnatum atque mortuum refutare voluerit. Fingere impune fortasse tibi liceat in defensione, quidquid velis, nullius memoria jam refellente; sed si vivorum et praesentium, quos in sermonibus aut loquentes aut audientes inducis, memoriam testem citas, aut haec ficta iis cognoscenda edis, qui eum ipsum, quem defendis, saepe audierunt, quaenam, quaeso, tibi spes erit, fore, ut id, quod volueris, illis probes? Num Xenophontis tibi ingenio opus est, ut, intelligas, te talia agendo, maximo in periculo versari, ne facile fraudis convictus omnem defensionis vim tollas, atque animi eorum

---

(*a*) Cic. *in ep. ad Quint. fratrem* Lib. I. Ep. I. 8. „Cyrus ille a Xenophonte „non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem justi imperii: cujus summa gravitas „ab illo philosopho cum singulari comitate conjungitur — nullum est praetermissum „in iis officium diligentis et moderati imperii etc".

(*b*) Hanc singularem opinionem lectoribus persuadere voluit Edwardus Edwards, Xenophontem in Memorabilibus philosophiae moralis ambitum disciplinamque complexum fuisse, prooemio sumto a Socratis defensione. Verum refutatione hic nullo modo opus est, cum ex ipso libri argumento perspicue pateat, esse Socratis Apologiam, in quibus Xenophon ad singula accusationis capita respondet. Confer *Epilogum Memorabilium.* Lib. IV. Cap. VIII. § 11. *ἐμοὶ μεν δή, τοιοῦτος ὤν, οἷον ἐγὼ διήγημαι* etc., ubi brevis fit repetitio argumentorum, quae in Apologia Socratis tractata erant.

eorum qui te audiunt, aut tua legunt, contra atque optaveris afficiantur. Atqui fi ii, qui temporum, locorum, hominum rationem non habent, inepti videri debent, profecto inepti defenforis nomen nequaquam effugere poteris.

Quid? Num Xenophonti foli, quid de illis artibus fenfisfet Socrates, notum erat? Nonne aliis etiam discipulis, non omnibus quicumque eum audiverant? — Nemini fane Athenienfium illum audiendi facultas non data fuit. Semper enim, ipfo Xenophonte teste, in publico erat, in foro verfabatur, in gymnafiis, in locis ad deambulandum opportunis, quo plurimi conveniebant, ubi, quicunque vellent, cum eo colloqui, aut de variis rebus eum disferentem audire poterant. Neque etiam unquam privatim quidquam expofuit, quod non itidem in publico, magna hominum frequentia, doceret.

Deinde fi phyficae atque astronomiae pia fraude, quod male ab Athenienfibus audirent hae artes, omnem ad Socratem aditum praeclufit Xenophon, cur etiam Geometriae? quae, quod fciam, nunquam Atheorum procreatrix, morum, juvenumque corruptrix neque fuit, neque ab hominibus, fana mente praeditis, habita est.

Quid autem fit, quod auctoritate magistri fuam fententiam defendi vehementer optaverit, non magis video, quam quod excufari voluerit fuam ignorantiam earum rerum, quarum ftudium apud cives non modo nullo in honore, verum etiam in contemtione esfet, atque ex parte crimini daretur. Non fcholam aperuit, non discipulos fibi comparavit, fed imperator patriae ferviit, et quantum ipfi bellicae occupationes, quibus maxime delectabatur, tribuebant otii, ad res gestas populorum, celebriumque virorum literis custodiendas potisfimum contulit (*a*). Quod fi fingere pro libidine licuit, cur non de arte militari et historica disputantem frequentius induxit Socratem?

Quod

(*a*) Scripfit ad 40 libros, quorum maxima pars historici est argumenti. Lib. II. Seg. 56. 57.

Quod autem in iis artibus, quae eorum propriae ſunt, qui ſpatium, atque quae in eo ſunt, res naturales perſcrutantur, rudis fuisſe Xenophon dicitur, id haud ſcio an confirmet ea, quae disputavimus. Cur enim eas non didicit? Si voluntas defuit, quae probabilior ejus ignorantiae cauſa reddi potest, quam quod Socrates ipſe illas neglexit, atque discipulum, qui eum maxime ſtudebat aemulari (*a*), in earum contemtionem adduxit. Facultatem has artes discendi Xenophonti defuisſe, vix credibile est.

Nemo fere mathematicorum ſcientiae, ait Cicero (*b*), vehementius ſtuduisſe videtur, quin quod voluerit conſecutus ſit.

Si quis autem est, qui haec Oratori Romano harum disciplinarum imperito non concedat, atque nimis infinitum et vagum putet, quod ita poſuit, *quod voluerit*, licet hinc, quantumcunque ipſi videatur, circumcidat, tamen id mea ſententia tenendum est, ad mediocrem harum artium ſcientiam non excellentiore ingenio opus esſe; neque esſe dubitandum, quin Xenophon, ſi quidem in iis, adhibitis peritis doctoribus, elaborare voluisſet, magnam earum vim, quantum id eo tempore liceret, ſcientia comprehendisſet.

Quae hactenus disputavimus, etiamſi leviora videantur, tamen cauſam, cujus patrocinium ſuſcepimus, probabilem, ut ſpero, reddiderunt. Graviora forſitan argumenta ab aliorum testimoniis petuntur. Quare age, interrogemus alterum testem Platonem; verum, antequam hoc aggredimur, ejus fides est inquirenda, quo certiorem interrogandi, atque de iis, quae responderit, existimandi viam atque rationem ineamus.

II. Platonis Auctoritas.

Plato, quod inter omnes convenit, mirifica ingenii acie atque abundantia, ſummo philoſophandi ſtudio atque diligentia, maxima rerum, quas cogno-

---

(*a*) Laërtius Lib. II. 56. Ξενόφων Σωκράτην ἐζήλωσε ἀκριβῶς".

(*b*) De Orat. I. 3.

cognovit, docuit, literis mandavit, varietate et copia, fingulari intelligendi et dicendi facultate, gravisfima apud aequales atque posteros auctoritate (*a*) omnes Socratis discipulos facile superavit.

Ingenium illi fuit tam promptum atque verfatile, ut ad quodcunque contemplationis genus accommodatum videretur. Nam in ea philofophiae parte, quae mores hominum fpectat, dignus discipulus atque aemulus magistri exftitit; in ea autem, quae animae deique naturam atque mundi originem investigare conatur, fingularis confpicitur acies, atque fubtilitas ingenii. Quod fi in hoc metaphyficae curriculo minus prospere, quam optaverit, ad veritatem procesfit, in rei naturam atque hominis conditionem non minus, quam in Platonem ipfum, culpa videtur esfe conferenda.

Adolescentulus picturae, muficae atque poëticae non frustra operam dedit, quod non folum ex iis fermonibus, in quibus de his artibus disputat, verum etiam ex ipfo fcribendi genere, in quo interdum magis poëtam quam philofophum agnoscas, fatis apparet. Annos viginti natus, audito jam Cratylo, Heracliti fententias explicante (*b*), fe in Socratis disciplinam tradidit, cui fingulari amore, reverentia atque ftudio conjunctus fuit. Hoc autem novem post annis mortuo, fe Megaram ad Euclidem contulit, qua commoratione Eleaticae philofophiae, quam fequebatur Euclides, pernoscendae ei facultas data est. Deinde ad Pythagoreos profe-

---

(*a*) BRUTUS C. 31. *Tuscul. Disput* Lib. I. Cap. 32 10. 17. *de Nat. Deor. II.* Cap. 12. PLIN. *Hist. Natur. VII.* Cap. 30 § 31.

(*b*) DIOG. LAËRTIUS III 6. exis imare videtur, Platonem non prius quam post Socratis mortem Cratylo Heraclitio operam dedisfe, „ *Σωκράτου δ'ἀποθάνοντος,* „ *προσεῖχε Κρατύλῳ τῷ Ἡρακλειτείῳ*". Ab eo disfentit APULEJUS admonens *in libro de dogmat. Platonis.* „ Et antea quidem Heracliti fecta fuerat imbutus, verum cum fe Socrati dedisfet, non folum ingenio atque doctrina ceteros Socraticos vicit etc". Haec Apuleji fententia graviore ARISTOTELIS, qui Platoni aequalis fuit, auctoritate fulcitur Nam in *Lib. I. C. 6. Metaph.* dicit. „ *ἐκ νέου τε γάρ συγγενόμενος* Πλάτων „ *πρῶτον* Κρατύλῳ, *καὶ ταῖς* Ἡρακλειτείοις *δοξαις*" etc.

fectus est in Italiam, et Siciliam: Cyrenen item atque etiam in Aegyptum iter fecisse videtur.

Plato igitur post Socratis mortem, atque etiam antea, plures diverſarum disciplinarum philoſophos audivit περί τῶν δαιμονίων, ut Heracliteorum, Eleaticorum atque Pythagoreorum mos erat, disputantes. Quorum ex fontibus cum non pauca in ſe derivaverit, longe aberres, ſi tantam ſententiarum atque doctrinarum copiam, quam in ſcriptis reliquit, de Socratis praeceptis omnem hauſisſe eum credas. Magnam enim earum partem non ſolum a Socratis disciplina alienam, ſed etiam a Socrate ipſo reprobatam fuisſe, gravisſimi auctores judicant. Satis distincte id docet CICERO (*a*).

„ Cur Plato Aegyptum peragravit, ut a ſacerdotibus barbaris numeros „ et coelestia acciperet? Cur post Tarentum ad Archytam? Cur ad cete- „ ros Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Acrionem, Locros, ut cum „ Socratem expresſisſet, adjungeret Pythagoreorum disciplinam, *eaque* „ *quae Socrates repudiabat*, addisceret". ARISTOTELES *Metaph.* Lib. I. C. 6. Conf. Tusc. Disp. I. 17.

Eodem modo QUINTILIANUS (*b*). „ Plato non contentus discipli- „ nis, quas praestare poterant Athenae, non Pythagoreorum, ad quos „ in Italiam navigarat, Aegypti quoque Sacerdotes adiit, atque eorum „ arcana perdidicit".

Multam autem operam dedit Mathematicis et Astronomicis disciplinis: quod non mirandum est, quoniam Pythagorei, quorum ſcholis intererat, has arte ſua complectebantur earumque uſum vel multo latiorem, quam ſolent nostri homines, ſtatuebant. Numeris enim atque Geometriae problematis, in Cosmogonicis atque Metaphyſicis quaestionibus, utebantur, neque fere rationem ſuae ſententiae reddebant, niſi quod erat numeris aut de-

(*a*) De Finib. V. 29.
(*b*) Inſtit. I. Cap. 12. § 13.

defcriptionibus explicandum: ex quibus numeris, atque Mathematicorum initiis proficisci volebant omnia (*a*).

Ut in Geometria proficeret, Cyrenen ad Theodorum Mathematicum (*b*), ut in Astronomia et Geometria, in Aegyptum (*c*) profectus esfe videtur. Multo autem in iis artibus colendis ei adjumento fuit familiaritas cum Archyta, fummo ejus temporis Mathematico, qui etiam Mechanicam atque Phyficam exercebat (*d*).

Hunc tantum virum testem citavimus. Permulta de Socratis fententiis, disferendi atque docendi ratione fcripfit. Si Apologiam atque epistolas excipimus, quaecunque de ejus operibus exftant, dialogorum formam habent, in quibus fere omnibus, ut primariarum partium actor Socrates ita exprimitur, ut non folum *περί τῶν ἀνθρωπέιων*, verum etiam *περί τῶν δαιμονίων* disputet, atque Parmenidem et Timaeum, aliosque metaphyficos

---

(*a*) Tusc. Disp. I 38. Acad. Quaest. 4. 37. Jamblichus de vita Pythagorae Cap. 29. Laërtius 8 11. etc.

(*b*) Vide LAËRTIUM III. 6. — APULEJUS: „ et *quod Pythagoreorum ingenium adjutum aliis disciplinis fentiebat*, ad Theodorum Cyrenas, ut Geometriam „ disceret, est profectus".

(*c*) Vide locum citatum pag. 38. CIC. de *Finibus* L. V. Cap. 29 atque etiam VALERIUM MAXIMUM VIII C. 7. „ Aegyptum peragravit, dum a Sacerdotibus „ ejus gentis Geometriae multiplices numeros *atque coelestium obfervationum rationem* „ perciperet". Pluribus etiam locis Aegyptiorum fapientia laudatur, atque non raro Graecorum ignorantiae opponitur apud PLATONEM ut v. c. *de Legibus VII.* atque in *Timaeo.*

(*d*) LAËRTIUS VIII. 83. *Ἀρχύτας πρῶτος τὰ μηχανικά ταῖς μηχανικαῖς προσχρησάμενος ἀρχαῖς ἐμεθώδευσε, καὶ πρῶτος κινησιν ὀργανικὴν διαγράμματι γεωμετρικῷ προσήγαγε* etc De eadem re forasfe Favorinus, cujus verba citantur a GELLIO V. 12 *Ἀρχύτας Ταραντῖνος, Φιλόσοφος ἅμα καὶ μηχανικός ὤν, ἐπόιησε περιστερὰν ξυλίνην πετομένην, ἥτις εἴποτε καθίσειεν, οὔκετι ἀνίστατο.* ARISTOTELES *Metaph.* 8. Cap 2, SIMPLICIUS in *Phyfica Ariftotelis* p 165, ARISTOTELES *Probl* 16 § 10. unde patet Phyficae artem eum exercuisfe. Quantus fuerit in Geometria, etiam ex HORAT. *Lib. I. Od.* 23. colligi potest.

ficas atque cosmogonicas quaestiones explicantes diligenter audiat, atque ftudiofe; quod autem ad Phyficam atque Astronomiam, earum artium infinitatem omnem peregrinari, neque ulla in extremitate confiftere nonnunquam videatur.

Quamobrem, fi hi fermones, aut faltem quae in iis referuntur, Socratis praecepta atque opiniones, non ficta funt, longe aliter de eo, quod in nostra quaestione verfatur, ftatuendum est, ac Xenophonte duce fecimus. Diligenter igitur Platonicorum fermonum fides examinari debet, quae cum aut testimoniis aliorum, aut argumentis e fermonibus ipfis petitis firmetur, vel debilitetur, primum veterum fententias in medio ponamus.

Examinantibus autem nobis veterum, qui de Socrate, Platone, Xenophonte fcripferunt, testimonia, mirabile videri folet, neminem fuisfe, qui id, quod quaerimus, quanquam in exponendis horum virorum fententiis maximi est momenti, atque primum omnium in deliberationem venire debet, fatis accurate examinaret, atque pro certo affirmaret, utrum veri an ficti fint fermones; fi ex parte ficti funt, quinam ficti, quinam veri, quidnam in iis fictum fit, quid verum. Commune etiam, paucis exceptis, omnibus Graecis et Latinis auctoribus veteribus, qui nulla memoria teste, res gestas celebrium virorum et fententias tradunt, id vitium videtur, ut, quos fecuti fint fcriptores, non indicent, aut, fi id faciunt, eorum fidem lectoribus non probent.

Cicero, quem honoris caufa primo loco nomino, etfi Socratis aut Platonis historiam non fcripfit, tamen, quoniam de iis, praefertim de Platone, quem fumma admiratione profequebatur, faepisfime loquitur, in testimonium vocari commode potest. At vero in idem, quod ceteri, incidit vitium, tanto gravius, quod fibi ipfe non fatis convenire videtur. Cujus ut rationem reddamus, pauca hic afferre exempla liceat.

Quae in Apologia, Phaedone, Menone, Phaedro atque in libris de Republica, de animorum immortalitate disputantur, non Socratis, fed Platonis esfe putantur. Etenim (Tusc. Disp. I. 17.) illam de immortalitate rationem in iis fermonibus explicatam interpretaturus, ita incipit:

An-

„ Antiqui rationem ſententiae ſuae non fere reddebant, niſi quid erat „ numeris aut deſcriptionibus explicandum. Platonem ferunt, ut Pytha- „ goreos cognosceret, in Italiam venisſe, et didicisſe Pythagorea omnia: „ primumque de animorum aeternitate non ſolum ſenſisſe idem, quod „ Pythagoras, ſed rationem etiam attulisſe: quam, niſi quid dicis, „ praetermittamus, et hanc totam ſpem immortalitatis relinquamus". Ad quae cum adolescens respondisſet: „ Ain' tu? Quum me in „ ſummam exſpectationem adduxeris, deſeris? Errare, mehercule, malo „ cum Platone, quem tu quanti facias, ſcio, et quem ex tuo ore ad- „ miror, quam cum istis vera ſentire". Cicero, „ macte virtute, „ inquit, ego enim ipſe cum eodem ipſo non invitus erraverim".

Nullum verbum de Socrate in tota hac disputatione usque ad Cap. 22. Platoni et Pythagorae omnia tribuuntur, quos idem de immortalitate ani- morum ſenſisſe, etiam Cap. 21. affirmat: „ Nec tamen mihi ſane „ quidquam occurrit, cur non Pythagorae ſit et Platonis vera ſententia. „ Ut enim rationem Plato nullam afferret (vide, quid homini tribuam) ipſa „ auctoritate me frangeret: tot autem rationes attulit, ut velle caeteris, „ ſibi certe perſuaſisſe videatur". Ergo non dubitandum est, quin quae Cap. 22. leguntur: „ Ex quo illa ratio nata est Platonis, quae „ a Socrate est in Phaedro explicata. Quod ſemper movetur, aeternum „ est etc." ſic intelligenda ſint, non Socratis ſed ſuam ipſius de animorum aeternitate ſententiam Platonem in Phaedro expoſuisſe.

Eodem modo interpretemur necesſe est Cap. 24. ubi profecto parum accurate Socratis et Platonis nomina promiscue uſurpantur. „ Animus „ habet primum memoriam, et eam infinitam, rerum innumerabilium: „ quam quidem *Plato recordationem esſe vult* vitae ſuperioris. Nam „ in illo libro, qui inſcribitur Menon, *puſionem quendam Socrates inter-* „ *rogat* quaedam geometrica etc. — *ex quo effici vult Socrates*, ut discere „ nihil aliud ſit, niſi recordari: quem locum multo etiam accuratius *ex-* „ *plicat* (*Socrates*) in eo ſermone (Phaedone) quem habuit eo ipſe die, „ quo excesſit e vita. Docet enim, quemvis qui omnium etc. Quum-

„ que nihil esset, *ut omnibus locis a Platone disseritur*, nihil enim ille „ (Plato) putat esse, quod oriatur et intereat etc. — ita nihil aliud est „ discere, nisi recordari".

Si hic locus cum iis, quae citavimus, diligenter confertur, non uberiore explicatione opus est, ad demonstrandum, non veram sed fictam Socratis personam a Cicerone indicari. Quare idem est dicendum de loco Cap. 29. „ His et talibus rationibus adductus Socrates, nec patronum quaesivit „ ad judicium capitis, et supremo vitae die de hoc ipso multa dis„ seruit: et paucis ante diebus, quum facile posset educi e custodia, „ noluit; et quum paene in manu jam mortiferum illud teneret poculum, „ locutus ita est, ut non ad mortem trudi, verum in coelum videretur „ adscendere. *Ita enim censebat, duas esse vias, duplicesque cursus ani„ morum e corpore excedentium*" etc. ubi locus de immortalitate, qui est in Phaedone explicatus, strictim repetitur. Deinceps. Cap. 43. „ De sepultura Socrates quid senserit, apparet in eo libro, in quo mo„ ritur: de quo jam tam multa diximus. Cum enim de immortalitate ani„ morum disputavisset et jam moriendi tempus urgeret, rogatus a Critone, „ quemodmodum sepeliri vellet: multam vero, inquit, amici operam „ frustra consumpsi etc". Ejusdem generis est, quod ex Apologia Socratis refert Cap. 40. „ Quae est igitur Socratis oratio, qua facit eum „ Plato usum apud judices jam morte multatum? Magna me, inquit, „ spes tenet" etc.

Idem Cicero sentire videtur de Dialogis Gorgia atque Menexeno. Nam in libro de Oratore (*a*) Scaevola: „ Sed ego, inquit, neque illis assen„ tiebar, neque harum disputationum inventori, et principi longe omnium „ in dicendo gravissimo et eloquentissimo Platoni, cujus tum Athenis „ diligentius legi Gorgiam: quo in libro in hoc maxime admirabar *Pla„ tonem, quod mihi in oratoribus irridendis, ipse esse orator summus* vi-

(*a*) Lib. I. 11.

„ *videbatur.* Verbi enim controverſia jam diu torquet Graeculos homi- „ nes, contentionis cupidiores quam veritatis". Ergo ob oratorum irriſionem non Socrates ſed Plato reprehenditur. Atque in Disput. Tusc (*a*) „ Zenonis ſententiae gravitas a Platonis auctoritate repetatur, apud „ quem ſaepe haec oratio uſurpata est, ut nihil praeter virtutem diceretur bonum: velut in Gorgia Socrates, quum esſet ex eo quaeſitum etc. — „ Quid vero? In Epitaphio quomodo idem? Nam cui viro, inquit, ex „ ſe ipſo apta ſunt omnia etc." Tandem argumentationem his verbis concludit: „ Ex hoc igitur Platonis quaſi quodam ſancto augustoque fonte „ nostra omnis manabit oratio".

Denique magna ſententiarum copia, quas Socrates aut alii in dialogis expoſuerunt, Platoni adſignatur: ſic v. c. Vellejus (*b*) in Platonem invehitur his verbis: „ De Platonis inconſtantia longum est dicere, qui in Timaeo, „ patrem hujus mundi nominari neget posſe: in legum autem libris, quid ſit „ omnino deus, anquiri oportere non cenſeat. Idem et in Timaeo dicit „ et in legibus, et mundum deum esſe, et coelum et astra, etc." Profecto ſi aliorum tantummodo ſententias Plato retulisſet, inepta fuisſet reprehenſio.

Eodem modo, quae Parmenides de Ideis disputaverat, Platoni tribuuntur: „ Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi ſolum, ſed „ etiam dicendi gravisſimus auctor et magister Plato, easque gigni negat, „ et ait ſemper esſe, ac ratione et intelligentia contineri etc." (*c*)

Ex his locis, quae memoravimus, id mea ſententia efficitur, Ciceronem Platonicos dialogos, in quibus Socrates exprimitur, ſi non omni, at ſaltem magna ex parte, aut plane a Platone fictos esſe existimasſe, aut de eorum veritate dubitasſe. Oratori autem, cui, ſi in utramque partem disputatur, vel ipſa dubitatio emolumento esſe potest, quique, dummodo, quae dicat, diſerta et probabilia videantur, rei ipſius veritatem minus curat, id largia-

(*a*) Lib V 12.

(*b*) *De Nat. Deor.* Lib. I. 12.

(*c*) Orator. 3.

giamur, ut interdum magis fidenter, quam oporteat, fermonum veritatem affirmet (*a*). Dubitationis autem memorabile exemplum exftat in Libro de Orat (*b*), ubi Catulus: „ ipfe ille Leontius Gorgias, inquit, quo pa- „ trono (ut Plato voluit) philofopho fuccubuit Orator, qui aut non est „ victus unquam a Socrate, *neque fermo ille Platonis verus est:* aut fi „ est victus, eloquentior videlicet fuit, et difertior Socrates, et, ut tu „ appellas, copiofior et melior Orator". Huc etiam referri potest de Orat. Lib. III. Cap. 4. „ Neque enim quisquam nostrum, cum „ libros Platonis mirabiliter fcriptos legit, in quibus omnibus fere So- „ crates exprimitur, non, quanquam illa fcripta funt divinitus, tamen „ majus quidquam de illo, de quo fcripta funt, fuspicatur etc."

Alii auctores veteres, quorum fcripta ad nostram memoriam pervenerunt, in eadem fere omnes funt fententia. Nam aut de fermonum veritate dubitant, aut prorfus eam negant Ariftoteles aliique nonnulli, qui Platoni fuerunt aequales, aut non ita multo post tempore floruerunt, quum, quae in dialogis expofitae funt fententiae, aut refutant, aut probant, non de Socratis fed de Platonis opinionibus disputare videntur. Attamen non inveni, ubi de eo, quod quaerimus, fatis accurate agatur, certaque nobis argumenta fuppeditentur. Plura autem, quae id fpectant, Diogenes Laërtius

---

(*a*) Sic Crasfus (*de Orat.* Lib. 3. Cap. 16.) Socratem *eloquentia*, varietate, copia, *quam fe cunque in partem dedisfet*, omnium fuisfe facile principem, verum (Lib. I. Cap. 54) Antonius affirmat, *neque in eo a Crasfo refutatur*, eum nullam aliam ob culpam *nifi propter dicendi infcientiam* damnatum fuisfe. Verum Antonius non nifi forenfem eloquentiam Socrati denegasfe videtur, quod convenit cum iis, quae eodem capite narrantur, difertisfimum oratorem Lyfiam ei fcriptam orationem attulisfe, quam, fi ei videretur, edisceret, ut ea pro fe in iudicio uteretur, quod profecto non fecisfet, fi Socrates hujus forenfis eloquentiae laude viguisfet. Sic inter fe conciliari posfint haec loca, nifi obftet: *quam fe cunque in partem dedisfet.* Veritatem fermonum affirmare videtur Cicero. Acad. Quaest. I, 4. atque Disput. Tusc. V, 4.

(*b*) Lib. III, 32.

tius atque Athenaeus collegerunt. Verum hi auctores posterioris sunt aevi; quorum alter in libro de vita atque de sententiis philosophorum, sine judicio atque ingenii acumine ea, quae incerta atque varia fama, atque a diversis auctoribus tradita erant, tam indiserte, confuse et permixte dispersit, ut non dubium sit, quin de eorum fide existimandi omnis ipsi facultas defuerit — alter autem, quanquam multo eloquentior, atque subtilior in Deipnosophistis omnia satis discrete et electe digessit, neque tam rumoribus quam rationibus pugnat, tamen studio partium, atque malevolentia in Platonem adductus, non raro, ubi vehementius in eum invehitur, calumniatoris magis quam accusatoris personam assumere videtur.

Plurimi ab utroque citantur auctores, quorum tamen maxima pars, quod dolendum est, nobis plane est incognita, ut, quam auctoritatem habeant, nullo modo definire possimus. Accedit etiam, ut, quo tempore floreret Academia, civile bellum inter philosophos, jam ab initio reipublicae litterariae gliscens, acerrime excandesceret, in quo inter alios excellerent Academici, qui omnes petentes, ab omnibus, ut fit, petebantur, ut incertum sit, num in tanto ardore belli, ubi maxima discordia diviserat animos, veritatis magis quam mendacii telis dimicatum sit. Quare caute procedendum, atque accurate inquirendum est, utrum partium an veritatis studium, in iis, quae commemorantur, plus valuerit: quanquam in his, aliisque ejusdem generis quaestionibus ad veritatis limina omnino penetrare vires propemodum superat. Propter caliginosam illam medii aevi noctem cum tam multis, ad res investigandas necessariis, testimoniis careamus, satis magnum est, si id praestare possumus, ut quam proxime ad eam accedamus. Ut enim Academici vita, sic non raro antiquitatis studiosi judicium, probabilibus regitur.

Cujus rei ut specimen demus, Laërtius atque Athenaeus memoriae res tradiderunt, quae, si verae sunt, veritatem sermonum Platonicorum funditus tollunt. Prima est apud Laërtium (*a*): „ Ajunt Socratem, „ cum

(*a*) *In vita Platonis* Lib. III. 35.

„ cum Platonem, fermonem Lyfiden recitantem, audisfet, per Herculem,
„ dixisfe, quam multa de me mentitus est hic adolescens". Cui addit LAËRTIUS, „ non etiam pauca fcripfit, quae Socrates non dixit". Atque profecto, fi vivo, fi audiente Socrate, dialogum, in quo tam multa de eo mentitus esfet, recitare non dubitavit, quid, quaefo, dicendum est de eorum veritate, quos mortuo Socrate, auditis atque approbatis Pythagoreorum, Eleaticorum, aliorumque fententiis, compofuerit? Verum unde haec fama? quam fidem meretur? Haec non curat Laërtius. Cur alii auctores, ut Athenaeus, qui in eandem fententiam disputant, nullam hujus rei faciunt mentionem, quandquam ad id, quod probare vellent, aptisfima erat?

Altera est apud ATHENAEUM his verbis expresfa: „ Socrates „ non illepide de Platone conjectans (στοχαζόμενος) multis adftantibus, vifus mihi est Plato per infomnium, dixit, in cornicem mutatus, quae capiti meo infiliens calvitiem perfoderet, atque, fedem a se occupatam firmiter tuens, circumcirca prospectaret (τὸ φαλακρόν μου κατασκαριφᾶν, καὶ κρατεῖν περιβλέπουσαν). Quare existimo, multa „ te, Plato, adverfus caput meum mentiri (a). Athenaeus haec in malevolentiam Platonis in Socratis discipulos dicta esfe putat; verum, mea fententia, corruptio Socratis doctrinae, orta ex fictis Platonis fermonibus, in quibus ejus fententiae cum aliorum philofophorum fententiis miscentur, his verbis notatur.

Haec narratio eodem fere vitio, quo praecedens, laborat. Verifimile est, eam ab Hegefandro Delphenfi proditam fuisfe, quem initio ejusdem capitis memorat Athenaeus fcripfisfe Commentaria (ὑπομνήματα), in quibus disputetur περί τῆς πρὸς πάντας τοῦ Πλάτωνος κακοηθείας. Verum neque a Laërtio, neque, quod fciam, fi Athenaeum excipis, ab aliis antiquis fcriptoribus de Hegefandro, aut de hoc fomnio fit mentio.

Ter-

(a) Deipnof. XI. 116. p. 387. edit. Schweigh.

Tertia narratio ita refertur apud ATHENAEUM „ Alii dicunt, Gor„ giam, postquam, qui ab eo nomen habet, fermonem legisfet, iis, qui „ una adesfent, dixisfe, nihil istorum, quae a Platone narrata esfent, fe „ neque locutum fuisfe, neque a Socrate audivisfe. Quod idem Phaedo, „ lecto fermone de anima, dixisfe fertur". (*a*)

Athenaeus his narrationibus fidem tribuit, fed, quo jure, nescimus. Ejusdem generis funt alia, quae ab eodem, atque a Laërtio traduntur. Quare jam dubiam famam, narratiunculasque, in quibus nulla est certa negandi aut asfentiendi nota, relinquentes, rationis momenta quaeramus, quae forfitan, quid in iis probabile, aut non probabile fit, nobis indicabunt.

Primum, fi a Socrate fermones habiti funt, Plato, necesfe est, aut ipfe iis interfuerit, aut eos vel a magistro vel ab aliis testibus acceperit. At non nifi perpaucis ipfe adesfe potuit, ceterosque ipfi traditos fuisfe, id neque verifimile est, neque ullo confirmatur testimonio (*b*); aut fi factum fit, loci tantummodo atque fententiae disputationum tradita fuerint, ex quibus ille cetera finxerit, aut certe adumbraverit. Xenophon contra, fere omnibus, quos confcripfit, fermonibus adesfe potuit, quorum aliis fe adfuisfe, alios revera a Socrate habitos fuisfe, declarat (*c*). Nihil ejusmodi apud Platonem, qui ne verbo quidem, aut fe interfuisfe, aut ab

(*a*) Deipnos. XI. 113. p. 380.

(*b*) Excepto, fi vis, fermone Theaeteto, fi vera funt, quae, initio hujus fermonis, de ejus origine narrantur.

(*c*) Ut Memorab. I. 3. § 8—14. ubi fermonem tradit, quem ipfe cum Socrate habuerat. Sermoni Socratis cum Euthydemo fe adfuisfe narrat. L. IV. 3 § 2. De aliis frequenter dicit οἶδα, ut Memorab. III. 3. 1. IV. 4. 5. IV. 5. 2. Quibus autem non ipfe adfuerat, eos ab aliis fe accepisfe testatur, ut IV. 8. 4. atque I 3 1 affirmat. „ ὥς δὲ δή καὶ ὠφελεῖν ἐδόκει μοι τοὺς ξυνόντας, τὰ μὲν ἔργῳ δεικνύων ἑαυτὸ „ οἷος ἦν, τά δέ καὶ διαλεγόμενος, τούτων δή γράψω ὁποσα ἂν διαμνημονεύσω".

ab aliis audivisſe commemorat. In Phaedone tantum, atque in Apologia, obiter de ſe mentionem facit (*a*).

Deinde quaeri potest, quidnam ſit, cur, cum tot ſermones, quos accurate et vere deſcribendi non data esſet facultas, memoriae prodiderit, eos plane reliquerit, quos ipſe cum Socrate contulisſet, atque fere ad verbum exprimere potuisſet? Cur in tanta disputationum atque rerum varietate et copia fere nulla fiat mentio de iis, in quibus Xenophon, Aeſchines, Antisthenes, Aristippus, aliique, qui priores partes tenebant, condiscipuli fuerant interlocutores? Nam, ſi excipimus ſermones, qui inſcribuntur Phaedon et Convivium, Critoni, Chaerephonti, Alcibiadi, Glauconi paene ſolis partes dedit, etiamſi ſine dubio plurimum omnium cum discipulis disſeruit Socrates. Ex triginta ſermonibus, quos nobis tradidit Xenophon in Memorabilibus, XVI ſunt, in quibus Socrates cum Xenophonte ipſo, Aristodemo, Aristippo, Glaucone, Diodoro, Chaerephonte, Critobulo, Critone, Epigene Euthydemo, Antisthene, aliisque discipulis colloquens inducitur.

Ex his, quae diximus, collatis cum iis, quae de odio Platonis in Socratis discipulos ab Athenaeo, Laërtio, aliisque narrantur, quorum tamen major pars merae ſunt calumniae, nec niſi opinionum diverſitatem indicant, veriſimile ſit, quandam ſimultatem atque aemulationem exſtitisſe inter Platonem atque plurimos ejus condiscipulos, quod ex diverſa animi indole, opinione, atque vitae ratione, explicare non difficile est (*b*). Quae ſimul-

(*a*) In Phaedone Phaedo, „ Πλάτων δέ οἶμαι, inquit, ἠσθένει". In Apologia Socrates multos familiares nominatim citans „ ὅδε τε Ἀδείμαντος, inquit, ὁ „ Ἀρίστωνος, οὗ ἀδελφός οὑτοσί Πλάτων § 22: atque § 28, Πλάτων δὲ ὅδε, „ καὶ Κρίτων — κελεύουσί με τριάκοντα μνῶν τιμήσασθαι".

(*b*) Huc pertinet narratio Pontiani apud Athenaeum Deipnos. XI 116. „ ἐδόκει „ γὰρ Πλάτων φθονερὸς εἶναι, καὶ κατά τὸ ἦθος οὐδαμῶς εὐδοκιμεῖν· καὶ γὰρ „ Ἀρί-

ſimultas fortasſis in ſermonibus conſcribendis, atque partibus distribuendis non minimi fuit momenti; ut non plane a veritate abhorreant, quae apud LAËRTIUM narrantur, non Critonem, ſed Aeſchinem Socrati, ut e custodia aufugeret, ſuaſisſe; ſed Platonem ex odio in Aeſchinem in ſermone *περὶ πράκτου* ejus partes Critoni de-

---

„ *Ἀρίστιππον πρὸς Διονύσιον ἀποδημήσαντα ἔσκωπτεν, αὐτὸς τρὶς εἰς Σικελίαν* „ *ἐκπλεύσας — Αἰσχίνου τε πένητος ὄντος, καὶ μαθητὴν ἕνα ἔχοντος Ξενοκράτην.* „ *τοῦτον περιέσπασεν· καὶ Φαίδωνι δέ τὴν τῆς δουλείας ἐφιστὰς δίκην ἐφωρᾶσθη·* „ *καὶ τὸ καθόλου πᾶσι τοῖς Σωκράτους μαθηταίς ἐπεφύκει μητρυιᾶς ἔχων* „ *διάθεσιν*". Laërtius III 36. etiam de hac Platonis erga Aristippum atque Aeſchinem malevolentia memorat. „ *εἶχε δὲ φιλέχθρως ὁ Πλάτων καὶ πρὸς Ἀρίστιππον. ἐν* „ *γοῦν τῷ περὶ ψυχῆς διαβάλλων αὐτὸν φησὶν, ὅτι οὐ παρεγένετο Σωκράτει* „ *τελευτῶντι, ἀλλ' ἐν Αἰγίνῃ ἦν καὶ σύνεγγυς*". Verum quaeritur hoc loco num abfuerit Aristippus nec ne? Si abfuit, neque calumnia, neque malevolentia adparet in Platonis narratione. Athenaeus etiam refert (XII. 63). „ *διέτριβεν δ'ὁ Ἀρίστιππος* „ *τά πόλλα ἐν Αἰγίνῃ τρυφῶν*". Auctor libelli *περί ἑρμηνείας* hunc locum examinavit atque optime obſervat *τοῦ πράγματος αὐτοῦ ἐμφαίνοντος τὸ δεινον οὐχι τοῦ λέγοντος*. Eodem loco de Aeſchine narrat Laërtius". „ *Καὶ πρὸς Αἰσχίνην* „ *δέ τινα φιλοτιμίαν εἶχε (ὁ Πλάτων). φασὶ δ'ὅτι δήπερ καὶ αὐτὸς* „ *εὐδοκίμει παρὰ Διονυσίῳ· ὃν ἐλθόντα δὶ ἀπορίαν, ὑπὸ μὲν Πλάτωνος* „ *παροφθῆναι, ὑπὸ δέ Ἀριστίππου συσταθῆναι*". Eadem repetit Laërtius in vita Aeſchinis II. 61. Plutarchus contra ſermonem narrat a Platone, ut Aeſchinem Dionyſio probaret, habitum, qui ſermo ſincerae amicitiae profecto documentum est. Haec autem Platonis malevolentia, ut narrant, condiscipulorum odium excitavit. Apollodorus in convivio profitetur, ſe libentius a Socrate veneni calicem acceptuum esſe, quam Platonis propinationem. Antisthenes eum appellat Sathonem, atque dialogum edidit, cui illud nomen inſcriptum est. Vide Athenaeum XII. 116. 115. V. 63. Laërtius III. 35.

dedisse (*a*). Nusquam certe apparent vestigia alicujus benevolentiae inter Platonem, et Xenophontem (*b*). Alter contra id, quod ab altero literis mandatum erat, libenter dicere videtur (*c*). Plato de Xenophonte nusquam facit mentionem, ne in Phaedone quidem, ubi memorat eos, qui morienti Socrati non adfuerant. Xenophon de Platone semel tantummodo

(*a*) *In vita Platonis* III. 56. Idem repetit LAËRTIUS *in vita Aeschinis* II. 60, atque caussam adjungit: *ὅτι ἦν* (Aeschines) *Ἀριστίππῳ* (cui Plato inimicus erat) *φίλος*. In vita quoque Socratis II. 35. Socratem tradit in carcere non Critoni, sed Aeschini dixisse: „ Tertio post die se moriturum esse".

(*b*) Idem Pontianus apud Athenaeum XI. 112. refert: „ *τάχα φιλονείκως εἶχον* „ *ἀρχῆθεν ἑαυτοὺς οἱ ἄνδρες οὗτοι* (Plato et Xenophon) *αἰσθόμενοι τῆς ἰδίας* „ *ἑκάτερος ἀρετῆς, καὶ ἴσως καὶ περὶ πρωτείων διεφέροντο.* Laërtius II. 57. „ *ἐκαλεῖτο δὲ καὶ* (Xenophon) *Ἀττικὴ μοῦσα, γλυκύτητι τῆς ἑρμηνείας· ὅθεν* „ *καὶ πρὸς ἀλλήλους ζηλοτύπως εἶχον αὐτός τε καὶ* Πλάτων". Verum hae merae conjecturae esse videntur.

(*c*) Ex his maxime simultatem inter Xenophontem collegerunt Athenaeus, Laërtius, Gellius, aliique. Ita enim pergit Pontianus apud Athenaeum XI 112 „ *Οὐ μόνον* „ *ἐξ ὧν περὶ* Κύρου *εἰρήκασι τεκμαιρομένοις ἡμῖν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν αὐτῶν* „ *ὑποθέσεων· συμπόσια μὲν γὰρ γεγράφασιν ἀμφότεροι, καὶ ὁ μὲν ὡς πρόκειται,* „ *παραιτεῖται πίνειν μεγάλοις ποτηρίοις, ὁ δὲ τὸν Σωκράτην παράγει* „ *τῷ ψυκτῆρι πίνοντα μέχρι της ἕω*". (Haec parvi profecto momenti sunt. Plato ipse maxime in temulentiam invehitur, ut ipse Athenaeus X. 39. testatur) — „ *Καὶ* „ *περὶ τοῦ* Κύρου *οὖν ὁ μὲν Ξενοφῶν λέγει ὡς ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐπεπαίδευτο* „ *πάντα τὰ πάτρια. ὁ δὲ* Πλάτων, *ὥσπερ ἐναντιούμενος ἐν τρίτῳ νόμων φησὶ* „ (p. 142. ed. Bip.) *μαντεύομαι δέ περὶ* Κύρου, *τὰ μὲν ἄλλα στρατηγὸν αὐτον* „ *ἀγαθὸν εἶναι καὶ φιλόπολιν, παιδείας δὲ ὀρθῆς οὐδὲ ἧφθαι τὸ παράπαν*" etc. Sane, quae Plato de Cyro narrat, prorsus contraria sunt iis, quae Xenophon in Cyropaedia refert. Plato magis ad veritatem locutus esse videtur. Vide quae notavimus pag. 180. In eandem sententiam disputat Gellius XIV. 3. cujus verba addere liceat. „ Id etiam „ esse non sincerae atque amicae voluntati e ediderunt, quod Xenophon inclyto illi „ operi

modo, et in laudem (*a*); quanquam Lib. I. 2. 48. Memorab. peropportuna erat occasio, eum nominandi, sed rejicit eum ad ceteros, etsi Plato, credo, jam eo tempore celebrior erat sex illis discipulis, quorum nomina ibi appellantur (*b*).

Athenaeus etiam accusat Platonem, quod eos loquentes induxerit, quibuscum, temporum atque locorum ratione habita, Socrates colloqui non potuerit. Quae accusatio si vera est, sermonum veritatem atque fidem profecto tollit: in quo tamen id mirum videri potest, Platonem, quem haudquaquam fugere posset, quo tempore ii, quos cum Socrate disserentes facit, vixerint, aut ubi degerint, in fingendis sermonibus in id vitium incidisse.

Primum Anachronismum notat ATHENAEUS (*c*) in Parmenide, affirmans, Socratem cum Parmenide vix per aetatem colloqui potuisse, nedum vel tales dicere, vel ab illo audire sermones. Argumenta non adjunxit.

DIOGENES LAËRTIUS (*d*) narrat, Parmenidem floruisse Olymp. LXIX. atque alio loco (*e*), Apollodori in Chronicis atque Demetrii Phalerei aucto-

---

„ operi Platonis, quod de optimo statu reipublicae civitatisque administrandae scriptum „ est, lectis ex eo duobus fere libris qui primi in vulgus exierant, opposuit contra, „ scripsitque diversum regiae administrationis genus, quod παιδείας Κύρου inscriptum „ est. Eo facto scriptoque ejus usque adeo permotum esse Platonem ferunt, ut quodam „ in libro (de Legibus III.) mentione Cyri regis habita, retractandi levandique ejus operis „ gratia, virum quidem Cyrum gnavum et strenuum, caet." Idem breviter commemorat Laërtius III. 34. Ad haec etiam ab Athenaeo l. c. refertur diversum de Menone Thessalo Xenophontis et Platonis judicium.

(*a*) Memorabil. III. 6. 1.

(*b*) Idem notat ATHENAEUS. Lib. XI. 112. atque LAËRTIUS *in vita Platonis*. Lib. III. 34.

(*c*) Lib. XI. 113.

(*d*) Lib. IX. 23.

(*e*) Lib. II. 42.

auctoritatem secutus, Socratem natum fuisse Olymp. LXXVII. anno quarto. In Parmenide autem (*a*) Pythodorus testatur, Parmenidem jam admodum senem atque canum, annos ferme LX aetatis, Zenonemque paene XL agentem, Athenas venisse, atque cum Socrate admodum juvene (σφόδρα νέῳ) in disputationem venisse. Demus igitur, Socratem eo tempore XVI annos natum fuisse (minorem ponere aetatem non licet, cum hac ipsa aetate, quas ei partes Plato dedit, vix agere potuerit) ex quo efficitur, ut sermo habitus fuerit LXXXI Olympiadis anno quarto, sed Parmenides, natus Olympiadis LXV anno tertio, jam floreret annos agens octodecim, quod quidem, quamvis aetas, in quam incidere solet doctrinae laus atque fama, in aliis alia sit, vix verisimile est. Sed fortasse ejus aetatem, quam περὶ ἔτη μάλιστα πέντε καὶ ἑξήκοντα dicit, non satis accurate notavit Pythodorus, atque senectuti viri (*b*), qui εὖ μάλα ἤδη πρεσβύτης σφόδρα πόλιος esset, quinque annos addere licet, unde sequatur, eum annos XXIII natum jam floruisse, quod magis probabile est. Quamobrem, etiamsi Laërtius et Apollodorus vera dicunt, non tamen satis aequum videtur, Platonem hic Anachronismi accusare, praesertim cum aliis etiam locis de eodem sermone commemorantem, atque idem de sua, Parmenidisque aetate repetentem inducat Socratem (*c*). Quod ad Zenonem attinet, LAËRTIUS (*d*) narrat, eum floruisse Olymp. LXXIX, atque Suidas, eum Xenophanis aut Parmenidis discipulum fuisse Olymp. LXXVIII. Quorum et Platonis testimonio, Zeno natus fuit Olymp. LXXI anno quarto, floruit annos agens XXIX, Parmenidem audivit XXV aetatis anno, quod a vero non videtur esse alienum.

Alius

(*a*) Pag 72. edit. Bip.

(*b*) CASAUBONUS ad hunc Athenaei locum notat: „Auctore Diogene Laërtio „Parmenides florebat circa tempora Olympiadis LXIX. *jam grandis natu et πάλαι „ἀνδρώθεις*". Posteriora verba apud Laërtium frustra quaesivi.

(*c*) Ut in Theaeteto pag. 138. atque in Sophista p. 202.

(*d*) In vita Zenonis IX. 29.

Alius Anachronismus ab ATHENAEO (*a*) notatus est in Phaedro. Non enim fieri posſe exiſtimat, ut Socratis aetate Phaedrus vixerit, nedum ut illius fuerit amaſius.

Hac in re, cum certis testimoniis prorſus careamus, quid verum ſit, vix liquet. Laërtius (*b*) narrat, a nonnullis dici, Platonem Phaedri amore fuiſſe captum, atque etiam verſus Platonis in Phaedrum citat, quos Apulejus Latine reddidit. Ex his, ſi vera ſunt, patet fieri poſſe, ut Socratis aetate Phaedrus vixerit, praeſertim cum idem Laërtius (*c*) atque etiam Olympiodorus (*d*), famae aſſentientes, commemorent, Phaedrum fuiſſe primum ſermonem a Platone conſcriptum.

Verum disputatio nostra modum excederet, ſi enumerare atque examinare velimus alia, in Platonis ſermonibus contra temporum atque locorum rationem ab Athenaeo adnotata vitia, in quibus difficile videtur, Platonem, aut, ut accuratius dicam, (nam forſitan id ſibi in fictione licere putavit) ſermonum ejus fidem defendere. Perobſcura ſane est quaestio de his Anachronismis, tum quod ex iisdem fontibus, unde hauſit Athenaeus, argumenta nobis petere rarius licet, tum quod Deipnosophistarum etiam libris non parum emendatrice manu opus est, neque etiam Caſauboni adnotationes, quamvis illae doctiſſimae ſint, multaque accuratius explicent, huic malo prorſus mederi videntur (*e*). Sunt

(*a*) Lib. XI. 113.

(*b*) In vita Platonis III. 29. 31.

(*c*) Lib. III. 38.

(*d*) In vita Platonis p. 584.

(*e*) Non tamen alienum a nostra quaestione videtur, caetera, quae Athenaeus obſervavit, leviter attingere. In Protagora Socrates cuidam ex familiaribus narrat, ad ſe veniſſe, ſuperiori nocte ante lucis exortum, Hippocratem, Apollodori filium, ſibique nuntiaſſe, Protagoram denuo Athenas veniſſe, qui illuc primum acceſſiſſet cum puer eſſet Hippocrates; ſe cum Hippocrate adiiſſe domum Calliae Hipponici filii, atque ibi conveniſſe Protagoram magna hominum turba ſtipatum, tam civium quam peregrinorum, inter quos Cal-

Sunt etiam alii ſcriptores veteres, qui in Platonis ſermonibus idem vitium animadvertant, ut Aristides in Apologia communi, et Macrobius in Sa-

---

Callias, Hipponici filius, atque ejus germanus ex matre Paralus, Pericle natus, et Charmides atque Xantippus, alter Periclis filius, Alcibiades, Hippias Elienſis, Prodicus Chius, caet.

Athenaeus Lib. V. Cap. 59. p. 339 hujus dialogi anachronismos in hunc fere modum docet. Hipponicus Calliae pater mortem tum ſubierat, haud multo ante quam Eupolis, Olymp. LXXXIX anno tertio, Alcaeo Archonte, Adulatores in ſcenam duceret. In hac fabula etiam de Protagora, Athenis verſante, mentio ſit. Biennio prius, Olymp. LXXXIX anno primo, Ameipſias Connum fabulam in ſcenam produxit, in qua tamen Protagoram in Sophistarum choro non recenſet. (hinc autem non optimo jure concluditur, Protagoram tum Athenis non fuisſe) Liquet igitur (non ſatis) Protagoram intra haec tempora (intra Olymp. LXXXIX annum tertium et annum primum) Athenas iterum venisſe. In Protagora autem Socrates memorat, Pherecratem anno ſuperiore in ſcenam produxisſe homines agrestes et feros. Id autem factum fuisſe conſtat ſub Archonte Ariſtione Olymp. LXXXIX anno quarto. Succesſio enim Archontum fuit Iſarchus (Olymp. LXXXIX anno primo) Aminias (anno II.) Alcaeus (anno III.) Aristion (anno IV.) Astyphilus (Olymp. XC anno primo). Hinc ſequitur, ſermonem habitum fuisſe Astyphilo Archonte Olymp. XC anno I.) atque, cum id fieri non potuerit, Platonem contra temporis rationem peccasſe. Deinde non veriſimile est, Hippiam Eleum cum nonnullis e ſuis popularibus, aliosque peregrinos, quos Protagoras congregasſet, tuto Athenis verſari potuisſe, niſi annuis induciis, *Archonte Iſarcho*, concluſis.

Denique Lib. XI. 133. obſervat, Paralum et Xantippum, Periclis filios cum Protagora eo tempore colloqui non potuisſe, quoniam ſaeviente peste jam in vivis esſe deſierant. Pestis, qua mortui ſunt, grasſabatur Olymp. LXXXVII anno ſecundo. Macrobius in Saturn. L. I. *idem notavit.*

In dialogo Gorgia etiam Anachronismum animadvertit Athenaeus Lib. V. 58. Sermo ibi est de Archelao, tanquam eo tempore Macedoniae regnum tenente, atque de Pericle nuper mortuo, quanquam Pericles jam plures annos, antequam Archelaus regnum obtineret, mortuus esſet. Bene Athenaeum refutavit Caſaubonus in notis ad hunc locum p. 235. etc. quem vide. — Conf. Bayle Diction. voce Archelaus p. 292. Caetera, quae minoris ſunt momenti, praetereo.

Saturnalibus. Macrobius forſitan ob oculos habuit, quae ab Athenaeo narrantur, aut uterque eundem auctorem, cujus ſcripta perierunt, ſecutus est.

Verum, quod maxime rem cauſamque continet, Platonicus ille Socrates nequaquam ſui ſimilis est. Aliud alias iisdem de rebus ſentire et judicare videtur, valde diverſus ab eo, quem Cicero non tum hoc, tum illud, ſed idem ſemper dixiſse narrat. Modo enim dubitat, modo affirmat; modo ſe nihil ſcire profitetur, modo magnam vim atque copiam rerum maximarum arte ſua complectitur; modo Heracliteorum, Pythagoreorum, aliorumque de immortalitate animorum, de cauſa atque ratione mundi, de natura deorum ſententias tanquam inanes, commenticiasque refutat, atque irridet, modo eas ſtudioſe cum asſenſu audit, quin eas approbans atque exponens ipſe reconditisſimos fontes conſectari, ſummusque earum rerum ſubtilium venator esſe videtur. Atque idem est dicendum de illa arte, quam obſtetricis vocat, qua ſe praecipue delectari, qua ſola pollere ſe declarat. Saepe enim longam atque continentem orationem vel ipſe profert, vel libenter audit et ſtudioſe. Ne hoc judicium levius, atque iniquius habeatur, quasdam rationes e ſermonibus petitas, quibus id confirmetur, in medium expromamus.

Socrates apud Platonem aeternitatem animorum probare variis quidem modis tentavit, ſed argumenta, plura enim conquiſivit, ex parte leviora atque ſubtiliora ſunt, quam ut credibile ſit, Socratem, qui alias id demonſtrandi genus ſaepe irrideat, iis tantam fidem tribuisſe, quantam in Phaedone, Phaedro, Menone, in Republica aliisque ſermonibus tribuisſe videatur.

Prior immortalitatis ratio eo nititur principio, contraria ex contrariis ſemper fieri (*a*). Ex eo fidenter concludit in Phaedone (*b*). Satis

(*a*) Ἐξ ἐναντίων τὰ ἐναντία πράγματα γίγνεσθαι.
(*b*) Pag 116.

„ Satis igitur id nobis constat, omnia sic fieri, ex contrariis contraria". Atque deinde: „ Revera ubique necesse est, omnia ita fiant, ex con„ trariis contraria, atque generatio fit utriusque vicissim in alterum (*a*). Tum (*b*) id ad mortem, vitamque referens: „ Ergo hac etiam „ ratione adductis id nobis convenit, viventes e mortuis fieri, non „ minus, quam mortuos e viventibus, atque id cum ita sit, suffi„ cientem conjecturam nos habere, mortuorum animae necesse esse „ alicubi sint, unde reviviscant". Quid autem fidentius dici potest, quam id, quo hanc concludit argumentationem: „ Ita certissime, „ ut mihi videtur, res se habet, neque nos haec ipsa, quasi decepti, „ professi sumus. Sed revera reviviscentia est, e mortuis viventes fiunt, „ mortuorum supersunt animae, atque bonis melius est, malis vero „ pejus".

Non minus fidenter ad demonstrandum, animos permanere post mortem, usus est in Phaedone (*c*) illa ratione, disciplinam nostram non nisi reminiscentiam esse, *unde conclusit*, *memoriam infinitam rerum innumerabilium*, *quam habet animus*, *recordationem esse vitae superioris*, *neque nos res discere*, *sed reminiscendo recognoscere* (*d*). Haec ratio, quae, ut verisimile est, ex Pythagorica fluxit schola, etiam aliis sermonibus fusius explicatur (*e*). Neque minorem auctoritatem aliis tribuit argumentis, ut in Phaedone, *animi naturam esse simplicem*, quanquam tantum abest, ut id ipsum probabile reddere conatus sit, ut in Republica (*f*), animam esse simplicem ex

---

(*a*) Γένεσιν εἶναι ἑκατέρου εἰς ἄλληλα.

(*b*) Pag. 163.

(*c*) Pag. 165—176.

(*d*) Ἡ μάθησις οὐκ ἄλλο τι ἐστιν, ἡ ἀνάμνησις".

(*e*) Ut in Menone p. 251, Conf. Cic. Disp. Tusc. I. 17. 24.

(*f*) X. 316.

ex immortalitate, concludat; — tum in Phaedone (*a*) *mortem esfe contrariam animae;* — in Phaedro *animam per se ipsam moveri* (*b*), atque denique in libro de Republica X., *animam nullo prorsus malo, neque proprio, neque alieno, exstingui.*

Verum, quam vim haec argumenta habeant, id nunc non agitur. Certum est, ea ex parte ab illo philosophandi genere profecta fuisse, quod Socrati, si Xenophontem audimus, atque Platonem ipsum aliis locis, minime probaretur. Praeterea nullus dubito, quin, quicunque Phaedonem, Phaedrum, aliosque sermones, ubi Metaphysicam palaestram ingreditur Socrates, attente perlegerit, quanquam multa egregia, atque Socrate digna non sine summa voluptate, atque maximo fructu perceperit, idem tamen alia, neque ea pauca, sibi occurrisse, confessurus sit, quae gravem et modestam Socratis parum referant disciplinam. Ejus generis mihi videtur esse colloquium Socratis cum Cebete in Phaedone (*c*). „ Num anima, quidquid occupat, semper illi vitam affert? affert sane. „ Num aliquid vitae contrarium est? est. Quidnam est? mors. Anima „ igitur contrarium ejus, quod ipsa semper affert, nunquam suscipit, „ quamadmodum ex superioribus concessum est? Profecto. Sed quo„ modo id appellamus, quod mortem non suscipit? immortale. Atque „ anima mortem non suscipit? non. Ergo anima est immortalis? est. „ Num hoc jam demonstratum dicemus? sufficientissime".

Si-

(*a*) Pag. 227—242.

(*b*) Quod Cicero expressit Tusc. Disp. I. Cap. 23. Orator. Cap. 4. 12. 13.

(*c*) Pag. 239.

Similis est argumentatio, quae alio loco concluditur (*a*). SOCRATES. „ Si quid ejusmodi est in rerum natura, cui malum sit, quod deterius „ ipsum efficere, non dissolvere valeat, nonne ex eo scimus, ipsi „ nullum esse posse interitum. GLAUCO. Consentaneum est. S. „ Num quidquam est, quod animum pejorem reddat? G. Maxime „ vero: injustitia, intemperantia, timiditas, inscientia. S. An quidquam „ horum animam perdit? G. Nullo modo. S. At vero absurdum est, ut „ alieno vitio interimatur aliquid, cui proprium vitium non afferat interi- „ tum. G. Absurdum sane". etc.

Satis profecto faciles in assentiendo se praebent Cebes et Glauco, neque ratio apparet, quam sequi solet magister, qui, ut ipse de se in MENONE profitetur, maxime dubitans, dubitare alios quoque faciat (*b*), aut qui in APOLOGIA de eadem re, tam saepe, tot argumentis, tam adseveranter demonstrata, adhuc dubitare videatur (*c*).

Num agnoscimus Socratem, cum de opinionibus incertis et vanis, tanquam de rebus perspectis aut veri similibus disputat, ut in PHAEDONE (*d*); ubi

---

(*a*) De Repubilca X. 315.

(*b*) Meno Socrati, *ἀπορεῖς*, inquit, *καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς ἀπορεῖν*, ipsique consentit Socrates ipse. In Theaeteto narrat Socrates, *λέγουσι περὶ ἐμοῦ, ὅτι δὲ ἀτοπώτατος εἰμι, καὶ ποιῶ τούς ἀνθρώπους ἀπορεῖν* (p. 149.)

(*c*) Atque suum illud, nihil ut affirmet, tenet ad extremum. Disp. Tuscul. I. 42.

(*d*) Pag 184. SOCRATES *Ἐμβριθὲς δέ γε, ὦ φίλε, τοῦτο οἴεσθαι χρὴ εἶναι, καὶ βαρὺ, καὶ γεῶδες, καὶ ὁρατόν· ὅ δή καὶ ἔχουσα ἡ τοιαύτη ψυχὴ, βαρύνεταί τε καὶ ἕλκεται πάλιν εἰς τὸν ὁρατὸν τόπον, φόβῳ τοῦ ἀειδοῦς τε καὶ ᾅδου, ὥσπερ λέγεται, περὶ τά μνήματά τε καὶ τοὺς τάφους καλινδουμένη· περὶ ἅ δή καὶ*

ubi de anima, quae polluta atque impura e corpore excesſerit, ſic agitur, ut poëtam ludentem magis, quam philoſophum ſerio loquentem audire credas.

Neque etiam Socrates, ſi Platoni credimus, ab aliis philoſophiae, quam contemplativam vocant, locis perquirendis alienus fuit, imo certiorem in iis, quam pro ejus disciplinae ratione, notitiam rei quaeſivit, atque inveniſſe putavit. Ita in PHAEDRO de deorum atque animarum vita atque natura ſubtiliter, atque interdum myſtice disputat. In PHILEBO τὸ πέρας, τὸ ἄπειρον, τὸ κοινὸν, τὸ τῆς αἰτίας γένος atque naturam deorum fuſius inquirit. In PARMENIDE neque Zenoni, unum esſe in ſenſibilibus disputanti, neque Parmenidi, idearum rationem explicanti repugnare, ſed potius asſentiri videtur. In TIMAEO longam atque continentem ora-

---

καὶ ὤφθη ἄττα ψυχῶν σκιοειδῆ. Φαντάσματα, οἷα παρέχονται αἱ τοιαῦται ψυχαὶ εἴδωλα, αἱ μὴ καθαρῶς ἀπολυθεῖσαι, ἀλλά τοῦ ὁρατοῦ μετέχουσαι· διὸ καὶ ὁρῶνται· CEBES. Εἰκός γε, ὦ Σώκρατες. SOCRATES. Εἰκός μέντοι, ὦ Κέβης. Καὶ οὔτέ γε τὰ τῶν ἀγαθῶν ταύτας εἶναι, ἀλλά τὰς τῶν Φαύλων, αἳ περί τά τοιαῦτα ἀναγκάζονται πλανᾶσθαι, δίκην τίνουσαι τῆς προτέρας τροφῆς. κακῆς οὔσης, καὶ μέχρι γε τούτου πλανῶνται ἕως ἂν τῇ τοῦ ξυνεπακολουθοῦντος τοῦ σώματος εἴδους ἐπιθυμίᾳ πάλιν ἐνδεθῶσιν εἰς σῶμα· ἐνδοῦνται δέ, ὥσπερ εἰκὸς, εἰς τὰ τοιαῦτα ἤθη ὁποῖα ἄττ' ἂν καὶ μεμελετηκυῖαι τύχωσιν ἐν τῷ βίῳ. CEBES. Τά ποῖα δή ταῦτα λέγεις, ὦ Σώκρατες; SOCRATES. Οἷον, τοὺς μὲν γαστριμαργίας τε καὶ ὕβρεις καὶ Φιλοποσίας μεμελετηκότας, καὶ μή διευλαβημένους εἰς τά τῶν ὄνων γένη καὶ τῶν τοιούτων θηρίων εἰκὸς ἐνδυεσθαι. κ. τ. λ. Eodem modo Socrates luporum, accipitrum, milvorum formas tyrannis et furibus dispertit, animantium autem ſocialium atque mitiorium, ut apum, vesparum, formicarum formam illis, qui ex conſuetudine atque exercitatione, ſed ſine philoſophiae praeceptis atque disciplina (ἐξ ἔθους τε καὶ μελέτης γεγονυῖαν, ἄνευ Φιλοσοφίας τε καὶ νοῦ) exercuerunt. Philoſophi ſoli ab hac ingrata ſocietate, foedisſimaque concretione ſegregantur, atque in libertatem vindicantur. In eandem ſententiam disputat Phaedro 320—326.

orationem de mundo, ejusque origine, mythis refertam, cum delectatione atque asſenſu ſe audire profitetur (*a*). Quibus ſermonibus lectis, quis non miretur, eundem Socratem in Apologia, atque etiam aliis ſermonibus, ejusmodi quaestiones tanquam vanas atque inutiles irridere, aut de iis quidquam ſe ſcire prorſus negare?

Pluribus deinde ſermonibus ſophistarum imperitia, ostentatio, atque ineptiae *Socrati Platonico* ludibrio ſunt. Verum in illis castigandis atque illudendis ſaepe eo progresſus est, ut non inepti, vani, ſed delirantes esſe videantur, adeo ut nequaquam veriſimile ſit, eos, qui ſanae mentis esſent, liberos ſuos, aut ſe ipſos inſtruendos illis dedisſe. Num credibile est, ne pluribus utamur exemplis, Gorgiam, cujus ingenium atque eloquentia a Socrate ipſo laudantur (*b*); qui a Cicerone, ſummo oratore, inter ſummos refertur dicendi doctores; cui tantus honos habitus fuit a Graecia, ſoli ut ex

---

(*a*) In PHAEDONE p. 225. ſe in eo tantummodo ab aliis philoſophis disſentire affirmat, quod illi *βλέπουσι πρὸς τά πράγματα τοῖς ὄμμασιν, καὶ ἑκάστῃ τῶν αἰσθήσεων ἐπιχείρουσιν ἅπτεσθαι αὐτῶν*, ſe autem putare *χρῆναι εἰς τοὺς λόγους καταφύγοντα ἐν ἐκείνοις σκοπεῖν τῶν ὄντων τὴν ἀλήθειαν.*

(*b*) In Hippia majore (*ab initio*) Socrates ipſe narrat. „ *Γοργίας τε γὰρ οὗτος ὁ* „ *Λεοντῖνος σοφιστὴς δεῦρο ἀφίκετο, δημοσίᾳ οἴκοθεν πρεσβεύων, ὡς ἱκανώτατος* „ *ὢν Λεοντίνων τὰ κοίνα πράττειν*" *κ. τ. λ.* — Neque Aeſchines, Socratis diſcipulus obſervantisſimus, Gorgiae orationes aspernatus est, de quo refert Laërt. II. 63. *μάλιϛα δέ μιμεῖται Γοργίαν τὸν Λεοντῖνον.* Memorabilis locus de Gorgia Sophista est in Menone, ubi Socrates Menoni „ *οἱ σοφισταὶ σοὶ οὗτοι, οἵπερ* „ *μόνοι ἐπαγγέλλονται δοκοῦσι διδάσκαλοι εἶναι ἀρετῆς*"; ad quae Meno respondet. „ *Καὶ Γοργίου μάλιστα, ὦ Σώκρατες, ταῦτα ἄγαμαι, ὅτι οὐκ ἄν ποτε αὐτοῦ* „ *τοῦτο ἀκούσαις ὑπισχνουμένου· ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων καταγελᾷ ὅτουν ἀκούσῃ* „ *ὑπισχνουμένων, ἀλλὰ λέγειν οἴεται δεῖν ποιεῖν δεινούς.*"

ex omnibus Delphis non inaurata, ſed aurea ſtatua poneretur (*a*); cujus operi de natura (*b*) quantum ex ejus fragmentis judicari potest, ſubtilitas mentis non est neganda: hunc ne, inquam, virum credibile est, adeo ſeſe riſui obtulisſe, ut in Gorgia narratur? (*c*) Nam, ut omittam illa, quae in ſummo oratore Cicero requirit, ſana ſaltem mente carere non debet, qua tamen eum prorſus caruisſe, concludendum est, ſi e. g. neſciret, quid respondendum esſet Socrati affirmanti: „ nunquam reipublicae gu- „ bernatorem *injuste* damnari ab ea, cui praeesſet, civitate", aut ſi ad interrogationes Socratis tam inepte responderet, ut in ſermone Gorgia narratur (*d*). Nimirum Philoſopho, cui libera erat fingendi potestas, neque admodum difficiles ſibi partes ſumenti, facile ſuccubuit orator.

His

(*a*) De Oratore III. 32. Leontino Gorgiae tantus honos habitus est a Graecia, ſoli ut ex omnibus Delphis non inaurata ſtatua, ſed aurea ſtatueretur. Atque ii, quos nominavi, multique praeterea *ſummi* dicendi doctores uno tempore fuerunt etc. *Plinius* (Histor. Natur. 30. 4.) refert Gorgiam ipſum ſibi ſtatuam poſuisſe. Cum Cicerone conſentit *Valerius Maximus* 8. 15.

(*b*) Fragmenta hujus operis *περί τοῦ μὴ ὄντος, ἢ περὶ φύσεως* exſtant in ſcriptis Aristotelis, atque Sexti Empirici adverſus Mathematicos.

(*c*) Conf. de Oratore 32. ubi *Catulus* affirmare non dubitat: „ Gorgias, quo „ patrono (ut Plato voluit) philoſopho ſuccubuit orator, aut non est victus unquam a „ Socrate, neque ſermo ille Platonis verus: aut, ſi est victus, eloquentior videlicet „ fuit, et diſertior Socrates et copioſior, et melior orator".

(*d*) Unum exemplum attulisſe ſufficiat. SOCRATES *Οὐκοῦν κατὰ τοῦτον τὸν λόγον καὶ ὁ τὰ δίκαια μεμαθηκὼς, δίκαιος.* GORGIAS. *Πάντως δή που.* S. *Ὁ δὲ δίκαιος δίκαιά που πράττει;* G. *Ναὶ.* S. *Οὐκοῦν ἀνάγκη τὸν ῥητορικὸν, δίκαιον εἶναι, τὸν δὲ δίκαιον βούλεσθαι δίκαια πράττειν.* G. *Φαίνεταί γε.* S. *Οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται ὅγε δίκαιος ἀδικεῖν.* G. *Ἀνάγκη.* S. *Τὸν δὲ ῥητορικὸν ἀνάγκη ἐκ τοῦ λόγου δίκαιον εἶναι.* G. *Ναὶ.* S. *Οὐδέποτε ἄρα βουλήσεται ὁ ῥητορικὸς ἀδικεῖν.* G. *Οὐ φαίνεταί γε.*

His et talibus rationibus adducti hos ſermones Platonicos de Sophistis ſatiris adnumeramus, quae, quid verum ſit, non ſatis accurate exponant, ut historicus, rerum, non fabularum, auctor, qui Sophistas describere velit, huic imagini, a Platone magis ad voluntatem fortasſe, quam ad veritatem expresſae, certam auctoritatem, niſi haec aliunde conſtet, tribuere nequaquam debeat (*a*).

Longam autem istam ab Athenaeo, praeeunte Hegeſandro (*b*), enumeratam ſeriem virorum, quorum mores, ingenium, ſententiae in ſermonibus Platonicis reprehenduntur, per ſe non indicare Platonis malevolentiam, facile concedo. Id enim hac in cauſa quaeritur, *num vere dixerit*, aut potius, *num vere dicere voluerit*, *nec ne*, quod plerumque non examinavit Athenaeus (*c*) Attamen Platonis ſcripta legens, in quibus tam rara est laus atque approbatio, tam abundans vituperatio et irriſio, non posſum non

in

(*a*) Idcirco narrationes illae apud Laërtium atque Athenaeum de fide ſermonum Platonicorum, ubi Socrates inducitur (de quibus p. 192. 193. diximus) a veritate non alienae videntur esſe. Plures ejusmodi collegit *Athenaeus XI.* 113. *Λέγεται δὲ καὶ ὡς ὁ Γοργίας αὐτὸς ἀναγνοὺς τὸν ὁμώνυμον αὐτοῦ διάλογον, πρὸς τοὺς συνήθεις ἔφη, ὡς καλῶς οἶδε Πλάτων ἰαμβίζειν*, atque deinceps. *ὁ Γοργίας ἔφη, ἢ καλόν γε αἱ Ἀθῆναι καὶ νέον τοῦτον Ἀρχίλοχον ἐνηνόχασιν* Platonem notans. Ex quibus concludit Athenaeus *διὸ καλῶς ὁ Τίμων ἔφη, ὡς ἀνέπλαττε Πλάτων πεπλασμένα θαύματα εἰδώς.*

(*b*) Deipnos. XI. 114. et 116.

(*c*) Recte enim admonet Dionyſius Halicarnasſeus (de Thucyd. Histor. 3.) *αὐτὸς ὁ Πλάτων Παρμενίδην, καὶ Πρωταγόραν, καὶ Ζήνωνα, καὶ τῶν ἄλλων φυσιολόγων οὐκ ὀλίγους, ἡμαρτηκότας ἀποδεικνύναι βούλεται· καὶ οὐδεὶς αὐτῷ κατ' αὐτό γε τοῦτο ἐπιτιμᾷ· ἐνθυμούμενος ὅτι τῆς φιλοσόφου θεωρίας σκοπός ἐστιν ἡ τῆς ἀληθείας γνῶσις.*

in iis indolem, ad reprehenſionem procliviorem, quam pro veritatis ſtudio agnoſcere (*a*).

Neque etiam pro mera calumnia id habendum esſe cenſeo, quod a nonnullis auctoribus veteribus memoriae proditum est, multa Platonem, non ſine magno in conſcribendis ſermonibus uſu, ex aliorum ſcriptis mutuatum fuisſe, quorum in numero refertur Epicharmus (*b*) philoſophus Pythagoricus, phyſicus, medicus, idemque, ut veriſimile est, Comicus (*c*), quem Cicero Siculum vafrum, acutum, nec inſulſum vocat

---

(*a*) Eadem pluribus locis notavit Dionyſius Halic., cenſor ſeverus Platonis, ſed accuratus, nec partium ſtudiis deditus. Ita in epistola ad Pompejum p. 126 *ὁπότε οὖν Πλάτων τὸν φορτικώτατον, καὶ ἐπαχθέστατον τῶν ἔργων προελόμενος, αὐτὸν ἐπαινῶν κατὰ τὴν δύναμιν τῶν λόγων, οὐδὲν ᾤετο ποιεῖν κατηγορίας ἄξιον, εἰ παρὰ τὸν ἄριϛον τῶν τότε ῥητόρων τοὺς ἰδίους ἐξετάζειν ἠξίου λόγους, ἐπιδεικνύμενος Λυσίαν τε ἐν οἷς ἡμάρτηκε, καὶ ἑαυτὸν ἐν οἷς κατώρθωκε.* Recenſet deinde viros, quos Plato in ſermonibus reprehendit, addens: *οὐκ ἀπὸ τοῦ βελτίϛου πάντα περὶ αὐτῶν γράφων, ἀλλ' εἰ βούλει, καὶ ἀπὸ φιλοτιμίας· ἦν γὰρ μὲν τῇ Πλάτωνος φύσει πολλὰς ἀρετὰς ἐχούσῃ τὸ φιλότιμον.*

(*b*) Laërtius in ejus vita. Lib. 8. § 78. notat eum fuisſe Helothalis filium, in inſula Co natum, Pythagorae auditorem, delatum autem cum trimestris esſet Megara Siciliae, deinde vero Syracuſas. Hinc patet, quare ab aliis Cous, ab aliis Siculus et Syracuſanus dicatur. Suidas et Jamblichius de vita Pythagorae alia patris nomina memorant.

(*c*) Suidas: *Ἐπιχάρμος Συρακούσιος, ὃς εὗρε τὴν Κωμῳδίαν ἐν Συρακούσαις ἅμα Φόρμῳ*, atque Aristoteles in libello de Poëtica. Cap. 3 *οἱ ἐκ Σικελίας ἀντιποιοῦνται τῆς κωμῳδίας — ἐκεῖθεν γὰρ ἦν Ἐπιχάρμος ὁ ποιητής.* Laërtius. Lib. III. 9. Epicharmum *comicum* appellat eum, quem Plato imitatus fuisſe dicitur, ſed, quod mirandum est, in vita Epicharmi philoſophi nullam de eo, ut Comico, aut de ejus Comoediis mentionem fecit.

cat (*a*), cujus quanto apud Syracufanos in honore fuerit fapientia, ex carmine ejus ftatuae infcripto, quod nobis fervavit Laërtius (*b*), manifestum est. Compofuerat commentarios de Phyfiologiâ, de Medicinâ, fententias, carmina (*c*), quae Theaeteto, Timaeo, Parmenidi, aliisque fermonibus materiam praebuisfe affirmat Alcimus (*d*), qui, ut id probaret, plura ex Epicharmi carminibus atque Platonis fermonibus inter fe collegit, cujus comparationis fpecimen dat Laërtius (*e*), ubi de iis, quae fub fenfus cadunt, de rerum naturalium principiis, de bono atque de ideis disputatur, in quo fimilitudo et materiei et formae inter utrumque non est neganda. Quod fi quis dicat, fieri potuisfe, ut uterque eundem auctorem Pythagoram, Heraclitum, aut alium fecutus fit, mutetur nomen auctoris, qui Platoni ufui fuerit.

Narratur etiam Plato Sophronis Mimographi libros antea neglectos Athenas invexisfe, iisque legendis fic delectatus fuisfe, ut fuper illis dormi-

---

(*a*) Tusc. I. 8. atque Ep. ad Atticum I. 19. duo Epicharmi verfus citantur, alter Latinus de Graecis converfus, alter Graecus. Posterior est: *νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπίϛειν: ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν*, quem Q. Cicero de Petitione Confulatus „ expresfit. *'Επιχαρμεῖον* illud teneto: nervos atque artus esfe fapientiae, non temere „ credere"

(*b*) In ejus vita. Lib. VIII. 78.

(*c*) Laërtius loco citato: *οὗτος ὑπομνήματα καταλέλοιπεν, ἐν οἷς φυσιολογεῖ, γνωμολογεῖ, ἰατρολογεῖ.*

(*d*) Hefychius Milefius etiam *ὠφεληται δέ Πλάτων πολλὰ παρ' Ἐπιχάρμου.* Miror autem Athenaeum. Lib. XI. neque de Alcimi libro neque de Epicharmi imitatione quidquam memorasfe.

(*e*) Laërtius III. 9.

miret, ſuppoſitosque capiti, cum moreretur, habuerit (*a*). Ex ejus mimis Plato mores formavit, ut Laërtio (*b*), atque perſonarum in dialogis imitationem didicit, ut Olympiodoro videtur (*c*). Gellius etiam memoriae prodidit, Timonem in Sillis contumelioſe appellasſe Platonem, quod immenſo pretio tres libros Pythagoricae disciplinae emisſet (*d*), atque ex eo Ti-

---

(*a*) Vide QUINTIL. I. 10. Idem affirmat VALERIUS MAXIMUS 8. 7.; LAËRTIUS. Lib. III. 18.; HESYCHIUS MILESIUS *in vita Sophronis*; *Duris*, teste ATHENAEO Lib. XI. Cap. III. p. 1. OLYMPIODORUS *in vita Platonis* p. 584. Edit Wetſtenii. De hoc Sophrone SUIDAS notat „ Σώφρων „ Συρακούσιος, Ἀγαθοκλέους καὶ Δαμνασυλλίδος. Τοῖς δὲ χρόνοις ἦν κατὰ „ Ξέρξην καὶ Εὐριπίδην". Ariſtoteles etiam de eo mentionem facit in libro περὶ Ποιητῶν, qui locus ab Athenaeo citatur. Lib. XI. Cap. 112. p. 379.

(*b*) LAËRTIUS Lib. III. 18. „ δοκεῖ δὲ Πλάτων ἠθοποιῆσαι πρὸς τῶν „ Σώφρονος τοῦ μιμογράφου βιβλίων". Vide Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 584.

(*c*) Sophroni etiam Ariſtophanes jungitur ab OLYMPIODORO. Verba ſunt: „ ἔχαιρε δὲ Πλάτων πάνυ καὶ Ἀριςοφάνει τῷ κωμικῷ, καὶ Σώφρονι, παρ᾽ ὧν „ καὶ τὴν μίμησιν τῶν προσώπων ἐν τοῖς διαλόγοις ὠφελήθη. λέγεται δὲ οὕτως „ αὐτοῖς χαίρειν, ὥςε καὶ ἡνίκα ἐτελεύτησεν εὑρεθῆναι ἐν τῇ κλίνῃ αὐτοῦ „ Ἀριςοφάνην, καὶ Σώφρονα". Platonis etiam epigramma in Ariſtophanis laudem hoc loco citatur.

(*d*) Platonem hos libros emisſe narrant GELLIUS III. 17. atque Laërtius III. 9. Gellius his verbis narrationem incipit: „ Memoriae mandatum est", Laërtius autem: „ λέγουσι δέ τινες, ὧν ἐςι καὶ Σάτυρος, ὅτι". Incertum est an Laërtius VIII. 85. iisdem de libris loquatur. Tzetzes Chil. X. 355 idem confirmat. Verſimile est hos libros a *Philolao* Pythagorico conſcriptos fuisſe. Non abs re est hoc loco referre, quid Dionyſius Halicarnasſenſis de Pythagoreorum libris cenſuerit. In Libro de Vett. Script. cenſura IV. admonet: Τῶν φιλοσόφων δ᾽ἀναγνωςέον τούς τε Πυθαγορικοὺς.

„ τῆς

Timaeum continuasſet (*a*). Mera ſane calumnia est, quod Aristoxenus et Phavorinus, teste Laërtio, (*b*) affirmant, omnem fere de republica ſermonem in Protagorae libris, qui Antilogici inſcriberentur (*c*) ſcriptum fuisſe, aut quod Theopompus Chius (*d*), Platonis ſermones majore ex parte alienos esſe, deſumtos partim ex Aristippi, nonnullos ex Anisthenis, multos etiam ex Bryſonis Heracleotae disputationibus.

Ipſa autem quaestio, utrum in ſermonibus conſcribendis alios auctores ſecutus ſit Plato nec ne, quanquam alias parvi momenti (quis enim philoſopho, ut ex aliorum libris legendis fructus capiat, aut quae ſibi pro-

---

„ τῆς σεμνότητος καὶ τῶν ἠθῶν καὶ τῶν δογμάτων εἵνεκέν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ „ τῆς ἀπαγγελίας. μεγαλοπρεπεῖς γὰρ τῇ λέξει καὶ ποιητικοί· καὶ οὐδὲ „ παραλείπουσι τὴν σαφήνειαν, ἀλλὰ κεκραμένῃ τῇ διαλέκτῳ χρώμενοι". Attamen addit „ μιμητέον δὲ μάλιςα Ξενοφῶντα καὶ Πλάτωνα, τῶν τε ἠθῶν „ χάριν, καὶ τῆς ἡδονῆς καὶ τῆς μεγαλοπρεπείας". Libri, quos Plato emisſe dicitur, eo majoris erant pretii, quod, ſi Laërtio II. 15. credimus, Pythagoricum dogma usque ad Philolai tempora ignotum erat. De Pythagoreorum arcana disciplina etiam narrant Tzetzes Chil. X 355. et Clemens Alexandrinus, aliique.

(*a*) Ita Timon in Sillis (Gellius III. 17). „ ἔνθεν (ex quo libro) ἀπαρχόμενος „ τοιαῦτα γράφειν ἐδιδάχθης". Tzetzes Chil X. 355. „ ἀφ' οὗ γράφει τὸν „ Τίμαιον καὶ τὰ λοιπὰ ὁ Πλάτων." Laërtius VIII. 85. de Philolao narrat. „ γέγραφε δὲ βιβλίον ἕν, ὅ φησιν Ἕρμιππος λέγειν τινὰ τῶν συγγραφέων, „ Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον παραγενόμενον εἰς Σικελίαν πρὸς Διονύσιον ὠνήσασθαι „ παρὰ τῶν συγγενῶν τοῦ Φιλολάου, καὶ ἐντεῦθεν μεταγεγραφέναι τὸν „ Τίμαιον". caet.

(*b*) Quod apud Laërtium III. 37 de Ariſtoxeno, idem III. 57. de Phavorino narratur Quam parum accurate res referat Laërtius hoc ſpecimem est. More ſuo omnia fere turbat

(*c*) De his Protagorae libris Laërtius IX 55. etiam meminit.

(*d*) Ἐν τῷ κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς. Vide Athenaeum XI. 118.

probentur ſententiae, eas ſequatur, non concedat ?) tamen, ut per ſe patet, ad ea, quae nunc inquirimus, plurimum refert.

Haec fere dicenda putavi de auctoritate ſermonum, in quibus Socrates a Platone inducitur. Multa praeterii, ne longus esſem. Attamen ex iis, quae commemorata ſunt, ni fallor, jure colligimus, non ſolum hos ſermones esſe fictos, verum etiam, in examinandis Socratis ſententiis, parvam aut nullam fidem iis esſe habendam. Qua in re id profecto mirari licet, principem illum philoſophorum tantae apud aequales et poſteros auctoritatis, non modo falſa de magiſtro in medium protulisſe, verum etiam ea, atque id impune, finxisſe, quae illis, qui Socratem audiverant, turpisſimorum mendaciorum eum accuſandi concederent facultatem, aut quae illos, qui non audiverant (quoniam nullo loco ſe finxisſe ſermones monuit) in ſummos errores inducerent.

Quae tamen admiratio tolletur, ſi animadverterimus, jam ante Platonem uſu receptum fuisſe, fictis ſermonibus de philoſophia, de politica, de phyſicis inſtituere quaeſtiones, in quibus etiam forſitan, ut Plato fecit, aut honoris cauſa, aut, quo majorem auctoritatem haberet oratio (*a*), priores partes celebri cuidam philoſopho, politico, phyſico darentur, qui ea, quae illi, a quo induceretur, vera aut veriſimilia viderentur, doceret, atque id, quod contradiceretur, refelleret. Cujus ſcribendi generis, quo Alexamenus Tejus, prouti Ariſtoteles (*b*), atque Zeno Eleates, prouti

(*a*) Ut Cic. de *Senectute* Cap. I. § 3. „ Omnem ſermonem tribuimus non Tithono, „ ut Aristo Chius, parum enim esſe auctoritatis in fabula, ſed M. Catoni ſeni, quo „ majorem auctoritatem haberet oratio". Atque *de Amicitia* Cap. I. 4. „ Genus „ hoc ſermonum poſitum in hominum veterum autoritate et eorum illuſtrium, plus, „ neſcio quo pacto, videtur habere gravitatis. Itaque ipſe mea legens, ſic afficior interdum, ut Catonem, non me, loqui exiſtimem".

(*b*) Athenaeus Lib. XI. Cap. 112, p. 378. narrat hoc genus inventum fuisſe ab Alexameno

prouti Laërtius memorat (*a*), jam ante Platonem usi sunt, definitionem dat Laërtius. ,, Dialogus, inquit, ex interrogatione atque res-
,, ponsione compositus est, atque versatur in iis, quae philosophiam
,, aut politicam spectant, cum decente et congrua expressione per-
,, sonarum, quae inducuntur, atque accurata verborum composi-
,, tione" (*b*).

Quare ad fictionem referendus est Dialogus, atque id in causa est, cur disputetur, quisnam ejus inventor fuerit, cur Laërtius notet, Platonem ejus inventorem non fuisse, verum id genus expolivisse, ut non solum ornatae, et expolitae orationis, verum etiam ipsius inventionis auctoritatem sibi

---

meno Tejo, testibus Nicia Nicaeensi et Sotione. Citat etiam Aristotelem, qui in libris de poëtis dixisset: ,, *οὐκοῦν μὴ Φῶμεν εἶναι λόγους* (Valckenarius correxit ,, *διαλόγους*) *καὶ μιμήσεις τοὺς Ἀλεξαμενοῦ τοῦ Τηΐου τοὺς πρώτους* ,, *γραφέντας τῶν Σωκρατικῶν διαλόγων*" Conf. Wyttenbachii epistola ad *Heusdii* specimen Crit. Platonis. Verum ex iis verbis non satis liquet, utrum Aristoteles dixerit, Alexamenum primum scripsisse dialogos Socraticos, an id voluerit, ipsum dialogos conscripsisse, antequam Socratici ederentur. Utcunque est, vera est conclusio Athenaei ,, Quibus verbis declarat Aristoteles, ante Platonem dialogos scripsisse ,, Alexamenum". *Epitomator Deipnos.* atque Laërtius Lib. III. 48. affirmant Alexamenum dialogorum inventorem ab Aristotele habitum fuisse. Laërtius Aristoteli testi etiam adjungit Phavorinum, sed non satis video, quo modo id conveniat cum narratione Laërtii eodem libro c. 24 ,, *Πλάτων πρῶτος ἐν ἐρωτήσει λόγον παρήνεγκεν*, ,, *ὥς Φησι Φαβωρῖνος ἐν ὀγδόῃ παντοδαπῆς ἱςορίας*".

(*a*) Laertius III 43 — de quo autem in ejus vita Lib. IX. 25. nullam fecit mentionem.

(*b*) Laërtius Lib. III. 48. ,, *μετὰ τῆς πρεπούσης ἠθοποΐας τῶν παρα-* ,, *λαμβομένων προσώπων, καὶ τῆς κατὰ τὴν λέξιν κατασκεύης*".

ſibi vindicaret (a), cur item Cicero de more, con uetudine dialogorum pluribus locis commemoret. Quid enim inventio, quid expolitio, quid mos, et conſuetudo dialogorum, ſi vel revera ſint habiti, vel habitos esſe oporteat (b). Veteres etiam non ſolum philoſophis, ſed etiam historicis amplam ſermones fingendi potestatem dedisſe, neque, dummodo τὸ πρεπὸν τοῖς προσώποις obſervaretur, id magnopere veritati historicae contrarium videntur habuisſe (c).

Ergo concedamus Platoni, ut ad imitationem aliorum, atque id ſecu-

(a) LAËRTIUS loco citato: „ δοκεῖ δέ μοι Πλάτων ἀκριβώσας τὸ εἶδος, „ καὶ τὰ πρωτεῖα δικαίως ἂν ὥσπερ τοῦ κάλλους οὕτω καὶ τῆς εὑρέσεως „ ἀποφέρεσθαι".

(b) Cicero de ſermonibus, quos ipſe compoſuerat, ad Varronem ita ſcribit: „ Feci „ ſermonem inter nos habitum in Cumano, cum esſet una Pomponius. Tibi dedi partes „ Antiochinas, quas a te probari intellexisſe mihi videor: mihi ſumſi Philonis. Puto, „ fore, ut, cum legeris, mirere id nos locutos esſe inter nos, quod nunquam locuti „ ſumus, *ſed noſti morem dialogorum*" Confer ep. ad Atticum XIII 10.

(c) Ut pasſim apparet ex Dionyſio Halic. Ita v. c. (de Vett. Script. Cenſura III. p. 70 edit. Sylb.) Xenophontem comparans cum Herodoto, „ ὁ μὲν Ξενοφῶν, „ inquit Ἡροδότου ζηλωτής ἐγένετο κατά τε τὰς πραγματικὰς ἀρετὰς καὶ „ τὰς οἰκονομικάς, καὶ τὰς ἠθικάς, τῶν διαλεκτικῶν — ὕψους δέ καὶ „ μεγαλοπρεπείας καθόλου τοῦ ἱστορικοῦ πράγματος οὐκ ἐπέτυχεν· ἀλλ' οὐ δέ „ τοῦ πρέποντος τοῖς προσώποις πολλάκις ἐστοχάσατο, περιτιθείς ἀνδράσιν „ ἰδιώταις καὶ βαρβάροις ἔσθ' ὅτε λόγους φιλοσόφους, λέξει χρώμενος λόγοις „ πρεπούσῃ μᾶλλον ἢ στρατιωτικοῖς κατορθώμασι". Nulla omnino hac in comparatio e de veritate ſermonum fit mentio, atque decorum perſonarum obſervare, id potius refertur ad rerum historicarum ſublimitatem atque magnificentiam. Vide quae Thucydides ipſe, rerum gestarum *pronuntiator ſincerus* et *grandis* de orationibus, quas memoriae tradiderat, monuit in Prooemio Hist. B. P. de quibus Cicero (Brutus 83.): „ Orationes, quas Thucydides interpoſuit (multae enim ſunt) eas ego laudare ſoleo, „ imitari neque posſim, ſi velim, nec velim fortasſe, ſi posſim".

rutus, quod jam in usu esset, sermones Socraticos finxerit, neque se finxisse admonuerit. Dummodo servatum esset a Platone, quod deceret, id est, dummodo id, quod Socrate dignum fuisset, et factum et dictum esset (quod equidem valde dubito) (*a*) non accusationis, aut admirationis causa ulla superesset.

Haec consideranti mihi non accurate egisse videntur ii, qui ex his sermonibus de Socratis ingenio, moribus, opinionibus, docendi et disputandi modo existimarunt, atque in iis vel accusandi (*b*), vel contra veteres atque novos aggressores defendendi eum causas quaesiverunt, quod idem mihi videtur, ac si quis Marci Catonis indolem, eloquentiam, atque sapientiam ex dialogo de senectute cognoscere velit. Nisi aliunde certa ratione pateat, vera esse, quae in sermonibus de Socrate narrantur, temere iis confiditur; quare, si nulla alia, nisi haec superessent testimonia, nequaquam, quid probabile sit, ex iis evolvere sperantes, ut multa alia, ita etiam nostram quaestionem iis adnumeraremus, quibus crassa medii aevi caligo est objecta, atque quo minus ea, qualia sint, perspiciantur, impedit, atque semper impeditura est.

At

(*a*) *Dionysius Halic.* (Demosth. p. 177) „ ἐγὼ τὸν μὲν ἐν τοῖς διαλόγοις „ δεινότητα τοῦ Πλάτωνος, καὶ μάλιστα ἐν οἷς ἂν φυλάττῃ τὸν Σωκρατικὸν „ χαρακτῆρα, ὥσπερ ἐν τῷ Φιλήβῳ, πάνυ ἄγαμαί τε καὶ τεθαύμακα· τῆς δὲ „ ἀπειροκαλίας αὐτὸν οὐδεπώποτ᾽ ἐζήλωσα τῆς ἐν ταῖς ἐπιθέτοις κατασκευαῖς". Caet.

(*b*) „ Ut e. g. *paederastiae*. Non tota via aberrasse mihi videtur Athenaeus (V 61) affir- „ mans. ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ὧν ὁ Πλάτων εἴρηκε περὶ Σωκράτους, τῶν Κωμικῶν τις „ εἴρηκεν — οὔθ᾽ ὡς Ἀλκιβιάδης συνεκοιμήθη ὑπὸ τὴν αὐτὴν γενόμενος χλαῖναν. „ Καί τοι ἀναγκαῖον ἦν τοῦτο ἐκκωμῳδηθῆναι ὑπὸ Ἀριστοφάνους τοῦ καὶ ἐν τῷ „ συμποσίῳ κατὰ Πλάτωνα· οὐ γὰρ ἂν ἐσίγησε τοῦτ᾽ Ἀριστοφάνης ὡς τοὺς νέους „ διαφθείροντος." — Conclusio est: „ πεφύκασι δέ οἱ πλεῖστοι τῶν φιλοσόφων „ τῶν κωμικῶν κατήγοροι μᾶλλον εἶναι".

At vero etiam Apologiam fcripfit Plato, orationis genus diverfum a dialogis, in qua Socrates ad fingula accufationis capita respondet apud judices, quae, quanquam haud dubie quoque ficta est (*a*), tamen cum defenfionem Socratis, non expofitionem locorum philofophiae complectatur, hoc praecipue in caufa est, cur majorem ei in nostra quaestione, quam dialogis, fidem habeamus.

Etenim hanc orationem, in qua calumniatorum argumenta refellenda, veritas atque mendacia firmis rationibus exponenda erant, Plato edidit civibus, quorum fere unicuique, quid in ea falfum, quid verum esfet, dijudicandi erat facultas, ut, fi veris ficta admiscuisfet, et magistri caufae et fuae ipfe famae profecto parum confuluisfet. Conferantur ea, quae in eandem fententiam de Xenophontis Memorabilium auctoritate diximus, quae, paucis mutatis, hujus etiam Apologiae auctoritati fulciendae infervire posfunt. Simplex etiam illud, haud quaquam difertum narrandi et disputandi genus, quo hac in defenfione Plato ufus est, Socrati convenit, qui ut ipfe de fe faepius testatur, faciundae et poliendae orationis esfet ignarus, atque, de Antonii in libro de Oratore fententia, nullam aliam ob caufam, nifi propter dicendi infcientiam, damnatus esfet.

Praeterea tam fidenter et aperte loquitur Socrates, tam graviter Deos atque homines testes invocat, tantam veritatis adeo, nullam fuae falutis ha-

(*a*) Cicero de Oratore I. 54. narrat, Lyfiam Socrati fcriptam orationem attulisfe, quam, fi ei videretur, edisceret, ut ea pro fe in judicio uteretur; Socratem autem hac oratione, quae ipfi non fortis et virilis videretur, uti noluisfe. Plutarchus affirmat Platonem Lyfiae Apologiam refcripfisfe, five argumentum a Lyfia in oratione tractatum de novo tractasfe. Haec fi vera funt, verisimile fit, inde ortam fuisfe Apologiam, quam nunc habemus. Idem fere quod Cicero narrant VALER. MAX. VI. 4. atque LAËRTIUS II. 40. Forfitan autem haec ipfa Apologia imitatio est fermonis, quem ipfe Socrates ante judices habuerat, adeo ut, fi non verba, loci faltem atque fententiae in utraque, et Platonis et Socratis Apologia, conveniant.

habere rationem videtur, ut vix fieri posſit, qui hic niſi falſa ſuspicetur, ut non idem de probitate atque de ſana Platonis mente dubitet. Quibus rationibus adducti concludimus, in inquirendis Socratis ſententiis, aut fidem Apologiae esſe habendam, aut eam Platonis ſcriptis omnibus prorſus esſe negandam. Quare ſi, quae in ea proferuntur, cum Xenophontis testimonio conveniunt, majorem etiam auctoritatem illi allatura ſunt, quae nullo modo infringetur iis testimoniis, quae e ſermonibus, contraria docentibus, hauriantur.

IV. Platonis testimonium ex Apologia Socratis petitum.

Quod cum ita ſit, hac Apologia duce examinemus, quidnam de Phyſicorum ſtudiis cenſuerit Socratis. Duplex erat accuſationum genus. Alterum jam ante multos annos crebris ſermonibus uſurparant inimici, alterum eo tempore inſtruxerant Anytus atque ejus adſtipulatores. Prioris generis hoc unum erat accuſationis caput (*a*): „ Socrates injuste agit, „ percurioſe inquirens quae ſub terra, et quae in coelo ſunt (*περιεργάζεται* „ *ζητῶν τά τε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια*) atque haec alios docet". Aut, ut eadem deinde aliis verbis (*b*) repetuntur: „ Socrates est vir ſapiens, „ perſcrutator meteororum et omnium, quae ſub terra fiunt" (*τὰ μετέωρα φροντίστης, καὶ τὰ ὑπὸ γῆς πάντα ἀνεζητηκώς*).

Quaeritur autem, quae ſint illa *τὰ ὑπὸ γῆς*, *τὰ ἐπουράνια*, *τὰ μετέωρα*. Qua de re, ut de tota accuſatione conſulendae ſunt Ariſtophanis Nubes, ubi haec uberius explicantur. Hunc enim comicum haud obſcure enumerat

(*a*) Pag. 41.
(*b*) Pag. 42.

rat Socratis inter accuſatores, quod in Nubibus iisdem calumniis uſus erat (*a*).

Primum in iis propter Astronomiae ſtudium (*περὶ τῶν ἐπουρανίων*) irridetur Socrates. Strepſiades enim filio ſcholam Socratis oſtendens: ,, Animarum ſapientium, inquit, haec est ſchola (*Φροντιςήριον*) Illic habi- ,, tant viri, qui hominibus perſuadent, coelum esſe furnum,. idque esſe ,, circa nos. Nos autem carbones (*b*)". Strepſiadi discipulus ipſe Socratis narrat, magistrum lunae vias et motus (*περιφορὰς*) quaerere (*c*). De eadem re, rustice magis quam facete, alio loco nugatur Ariſtophanes (*d*). Neque etiam Inſtrumenta Mathematica et Astronomica in Socratis ſchola deſiderantur (*e*). Verum in acerbisſimas calumnias vertitur hic riſus in iis locis, ubi *τὰ μετέωρα* Phyſicis rationibus explicantur. Inducitur enim Socrates inepte de ſe narrans: ,, per aërem incedo (*ἀεροβατῶ*) atque

(*a*) Apologia pag. 42. ,, Τοιαῦτα γὰρ ἑωρᾶτε καὶ αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριςοφάνους ,, κωμῳδίᾳ, Σωκράτην τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, φάσκοντά τε ἀεροβατεῖν, καὶ ,, ἄλλην πολλὴν φλυαρίαν φλυαροῦντα. — Atque p. 40. ὃ δὲ πάντων ἀλογώτατον. ,, ὅτι οὐδὲ τὰ ὀνόματα οἷόν τ' αὐτῶν εἰδέναι, καὶ εἰπεῖν· πλὴν εἴ τις κωμῳ- ,, δοποιὸς τυγχάνει ὤν".

(*b*) Nubes vs. 94.

(*c*) Nubes vs. 171.

(*d*) Vs. 195.

(*e*) Vs. 200. Strepſ. ,, Πρὸς τῶν θεῶν, τί γὰρ τάδ' ἐςὶν, εἰπέ μοι. Discip. ,, Ἀςρονομία μὲν αὑτηΐ. Str. τουτὶ δὲ, τί; Disc. Γεωμετρία. Str. τοῦτ' οὖν ,, τί ἐςι χρήσιμον; Disc γῆν ἀναμετρεῖσθαι ... τὴν σύμπασαν· ad quae Scholiastes ,, notat: εἰσελθὼν ὁ πρεσβύτης ὁρᾷ τὰ τῶν φιλοσόφων σκεύη, ἄβακα, ἢ σφαῖραν, ,, ἢ ζωγραφίαν· καὶ ἐρωτᾷ τί ἐςι. Τουτὶ δὲ τί. Διαγράμματά τινα καὶ ,, πίνακας δείκνυσιν ἀςρονομικῶν καὶ γεωμετρικῶν"

,, atque ſolem contemplor (*a*). Nunquam enim accurate meteora (τὰ ,, μετέωρα πράγματα) investigare potui, niſi ſuſpenſo animo, atque ,, ſubtili meditatione permiſta cum aëre ſibi ſimili'' (*b*). Atque alio loco (*c*) Socrates admonet Strepſiaden: ,, Quin age, ut, ſi quando ſapien- ,, tem aliquam quaestionem poſuero de meteoris, eam ſtatim arripias" (*d*). Haec etiam meteora, ad quae referuntur fulgur, tonitru, pluvia, explicantur (*e*); in qua explicatione, quanquam tantummodo ad riſum movendum ſpectare videtur, tamen calumnia prorſus adparet, Socratem videlicet haec phaenomena, quae ex opinione vulgi non niſi ſolà deorum vi atque actione, non antecedenti cauſa, effici crederentur, ex Phyſicis rationibus, id est, ex naturalibus cauſis explicavisſe, neque in illis deorum interventum admiſisſe, atque hac inquirendi docendique ratione ſatis declarasſe, ſe deos non esſe existimare. Quare non immerito Socrates in Apologia: ,, οἱ γὰρ ἀκούοντες ἡγοῦνται, τοὺς ταῦτα ζητοῦντας οὐδὲ θεοὺς ,, νομίζειν". Ex his locis, inter ſe collatis, patet, ad *meteora* etiam referri *corpora coelestia* (*f*).

Investigationem etiam eorum, quae ſub terra ſunt, ſale ſuo adſperſit Comicus. Ita STREPSIADES (*g*): Quid ad terram adſpiciunt isti? DI-

(*a*) Nubes vs. 225. ſeqq. Hunc locum reſpexit Plato in Apologia.

(*b*) Εἰ μὴ κρεμάσας τὸ νόημα, καὶ τὴν φροντίδα λεπτὴν καταμίξας ἐς τὸν ὅμοιον ἀέρα.

(*c*) Ὅταν τι προβάλωμαι σοφὸν περὶ τῶν μετεώρων.

(*d*) Vs. 489.

(*e*) Vs. 375. ſeqq.

(*f*) Ut recte ad vs. 228. Scholiastes hanc vocem τὰ μετέωρα explicat: ,, τὰ ὑψηλὰ ,, καὶ οὐράνια· περὶ τούτων γὰρ τοῖς φιλοσόφοις τὰ ζητήματα".

(*g*) Nubes vs. 187.

Discipulus. Quaerunt ea, quae ſub terra ſunt. Str. Quid autem illi faciunt, qui corpus tam valde inclinant? Disc. Perſcrutantur ima Erebi et Tartari (*a*).

Phyſiologiae etiam animalium, (*b*) Geometriae atque Geographiae (*c*) ſtudium pro ridiculo habetur. Circinus (διαβήτης) alium in uſum adhibitus fuiſse narratur, atque vulgo a Mathematicis adhiberi ſolet (*d*). Huc pertinet etiam menſura Geometrica pulicis pedibus.

Nonnulli recentiores eruditi Ariſtophanis defenſionem ita ſusceperunt, quaſi aut jocandi tantummodo cauſa, non calumniandi, Socratem riſerit, aut ſub Socratis perſona non Socratem, ſed multos Sophiſtas atque philoſophos, de natura deorum atque mundi disſerentes, petere voluerit (*e*). Quae

---

(*a*) Ἐρεβοδιφῶσιν ὑπὸ τὸν Τάρταρον. Ad quae Scholiastes: „ Τὰ ὑπὸ „ ἔρεβος διφῶσι, τουτέςι, τὰ ὑπὸ γῆν ζητοῦσι. Τάρταρος δὲ ἐςὶν, ὁ ὑπὸ γῆν „ κατώτατος τόπος.

(*b*) Nubes vs. 159.

(*c*) Nubes vs. 200—217.

(*d*) Nubes vs. 177.

(*e*) In hanc ſententiam, credo, adducti fuerunt praecipue iis argumentis, quae Scholiastes ad vs. 96. ſeqq. notavit. Quare non ſupervacuum videtur, ejus verba referre, atque argumenta paucis examinare. „ Ταῦτα δὲ πρότερος Κράτης ἐν „ Πανόπταις δράματι περὶ Ἱππῶνος τοῦ φιλοσόφου κωμῳδῶν αὐτὸν λέγει· „ ἀφ᾽οὗ σοχαζόμενοι τινές φασιν, ὅτι μηδεμιᾶς ἔχθρας χάριν Ἀριςοφάνης „ ἥκεν ἐπὶ τὴν τῶν Νεφελῶν ποίησιν, ὅς γε μήτε ἴδιόν τι, μήτε ἁρμόττον „ (ἐπήγαγεν), ἀλλὰ μηδὲ πρὸς ἓν ἔγκλημα ἦλθε Σωκράτους": (quod his „ argumentis profecto levisſimis confirmatur): „ δύο γὰρ κατ᾽αὐτοῦ ταῦτα προθεὶς „ ἐγκλήματα, τὸ περὶ οὐρανοῦ, ὅτι ἐςὶ πνιγεύς· καὶ ὡς ἱκανός ἐςι τὸν ἥττω λόγον „ διδάσκειν, καὶ τὸν κρείττονα· τὸ μὲν, κοινὸν τῶν φιλοσόφων ἁπάντων ἐπήγαγεν „ ἔγκλημα· φαίνεται δὲ καὶ ἐπὶ τούτων ὁ Ἱππὼν κωμῳδηθῆναι φθάσας". (Quaſi vero omnes philoſophi, ὅτι ὁ οὐρανός ἐςι πνίγευς, aut ejusmodi quid affirment.

Quae ſententia, haudquaquam mihi veriſimilis, qua tandem ratione probabilis fiat, me neſcire libenter fateor. Ubi omnia acerbisſimis calumniis redundant, non niſi jocos videre, rara profecto indulgentia est. Sub cujusdam viri celeberrimi, viventis, praeſentis, perſona, alios petere acerrime; neque ejusmodi allegoriam, aut tropum, ut ambiguitas vitetur, indicare, tam ſingularis mos est, ut dubitem, an ulli nationi, aut tempori proprius esſe posſit. ¿Quotusquisque philoſophorum invenitur, qui in omnium

Ceterum, quam parum accurate disputet hoc loco Scholiastes, aut illi, qui ita conjiciunt, inſpectis Nubibus, ubi plura ejus generis accuſationum capita, eaque multo graviora, neque in omnes philoſophos conferenda leguntur, cuivis manifestum fit). „ τὸ δὲ τῶν ἐγκλημάτων, οὐδὲ τὸ σύνολον ἐπικοινοῖ φιλοσοφίᾳ, οὐ γὰρ τοῦτο „ ἐπαγγέλλονται οἱ φιλόσοφοι, δεινοὺς ποιήσειν λέγειν· ἴδιον δὲ τὸ τοιοῦτο „ μᾶλλον τῆς ῥητορικῆς. ὡς ἐπ' ἀμφοτέροις τὸν φιλόσοφον καθαρεύειν". (Attamen Socratis tempore philoſophia cum rhetorica plerumque conjungebatur. Illi veteres doctores, auctoresque dicendi nullum genus disputationis a ſe alienum putabant, ſemperque erant in omni orationis ratione verſati (Cicero de Orator. III. 32. l. 15. 16.) atque Sophistis nihil arduum erat, neque Philoſophia, neque Phyſica, neque Geometria, neque ars disſerendi, aut pallium ſoccosque conficiendi). „ οἱ δ' ὅτι ὁλόκληρον εἰς αὐτὸν „ συνέταξε δρᾶμα, καὶ δι' ἔχθραν νομίζουσιν αὐτὸν πεποιηκέναι, οὐκ ὀρθῶς „ οἴονται· πρῶτον μὲν γὰρ Δίφιλος εἰς Βοῖδαν τὸν φιλόσοφον ὁλόκληρον συνέταξε „ ποίημα· διὸ οὐκ εἰς δουλείαν ἐῤῥυπαίνετο φιλόσοφος· οὐ διὰ τοῦτο δὲ ἐχθρὸς ἦν. „ (Argumenti vis non ſatis est perſpicua. Forſitan ex analogia quadam ducitur). „ ἔπειτα Εὔπολις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωκράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης „ ἐν ὅλαις ταῖς Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο. οὐδὲν δὲ χεῖρον ὑπομνησθῆναι τῶν „ Εὐπόλιδος. Δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν Στησιχόρου οἰνοχόην „ ἔκλεψεν· οἷον δ' ἦν ὁρᾶν τὸν φιλόσοφον τὸ ἐν φανερῷ μάλιστα σκεῦος κατα- „ κείμενον κλέπτοντα καὶ ὑφαιρούμενον". Quid, quaeſo, haec? Ariſtophanes in ipſis Nubibus vs 178. etiam Socratem narrat, circino ſumto, e palaestra *vestem ſurripuisſe.* Quid inter haec furta interest? Alterum conſpicitur, alterum narratur in ſcena, *idque a diſcipulo in laudem magistri.* Quin in ſcena ipſa Strepſiadi vestem ſurripuit. Socrates vs. 1499.

omnium civium conſpectu aliorum vitia in ſe accumulari non recuſet, non in malam partem accipiat. Negligere, quid de ſe quisque ſentiat, non ſolum arrogantis est, ſed etiam omnino disſoluti (*a*). Socrates certe, ſi ulla Apologiae fides concedenda est, hunc honorem recuſavit atque Ariſtophanis nugas pro calumniis habuit. Inter gravisſimos enim inimicos refert Ariſtophanem, atque aperte indicat, id eum egisſe, ut talibus nugis ſuam apud populum famam laederet (*b*).

At vero, cum id ſolum agatur, utrum vera an falſa protulerit Ariſtophanes, haec praetermittamus, atque, quod pluris interest, videamus, quid ad has accuſationes et calumnias responderit Socrates. Verum ex earum comparatione cum iis locis, quae ex Memorabilibus citavimus, manifestum est, Xenophontem ad eas reſpexisſe, atque eas refellere conatum

(*a*) Cicero de Offic. I. 28.

(*b*) Apologia p. 42. Ἐμοῦ γὰρ πολλοὶ κατήγοροι γεγόνασι πρὸς ὑμᾶς, καὶ πάλαι πολλὰ ἤδη ἔτη, καὶ οὐδὲν ἀληθὲς λέγοντες· οὓς ἐγὼ μᾶλλον φοβοῦμαι ἢ τοὺς ἀμφὶ Ἄνυτον, καίπερ ὄντας καὶ τούτους δεινούς. ἀλλ᾽ ἐκεῖνοι δεινότεροι, ὦ ἄνδρες, οἳ ὑμῶν τοὺς πολλοὺς ἐκ παίδων παραλαμβάνοντες, ἔπειθόν τε καὶ κατηγόρουν ἐμοῦ οὐδὲν ἀληθές — οὐδὲ τὰ ὀνόματα οἷόν τ᾽ αὐτῶν εἰδέναι καὶ εἰπεῖν· πλὴν εἴ τις κωμῳδοποιὸς τυγχάνει ὤν. His non repugnat id, quod Aelianus Var. Hist. II. 13. narrat, Socratem adfuisſe, cum ageretur haec Comoedia, atque ſurrexisſe, ut ab omnibus videretur. Contemſit ſcilicet calumnias. Aelianus ipſe τοσοῦτον ἄρα, inquit, περιῆν τῷ Σωκράτει τῆς κωμῳδίας καὶ Ἀθηναίων καταφρονεῖν. Ariſtophanes, dicunt, Sympoſio Socratis apud Platonem adfuit. Verum, quamvis ſermo ille verus ſit, num inde colligi potest, falſa esſe, quae Plato in Apologia de Ariſtophane narrat? Ariſtophanes, ut Olympiodorus refert, a Platone ipſo vehementer carmine laudatur. Sed vide, ne hoc totum ſit a nobis. Nullo enim modo probabile est, Platonem in amici vituperationem falſa in Apologia prodidisſe. Aelianus l. c. tradit, Anytum ejusque ſocios Ariſtophani perſuaſisſe, ut Nubes ederet. Anytum hoc fecisſe, id temporis rationi repugnare videtur. Sed quod Anytus non fecit, alii Socratis inimici facere potuerunt. Cum Aeliano tamen conſentit Diog. Laërtius II. 38.

tum fuisse. Quare earundem in Apologia refutatio, confirmet necesse est, Platonem et Xenophontem hac in re prorfus convenire.

Gravisfima autem est haec refutatio, adeo ut de Platonis testimonio nullum prorfus dubium relinquatur. De Ariftophanis enim calumniis mentione facta, addit Socrates: „ De his rebus (Phyficis, Astrono-„ micis, cet., quae in Ariftophanis comoedia proferuntur) ego neque „ magnum quidquam nec tantillum fcio Neque haec, ut Meliti accufa-„ tionem effugiam, ita dico, quafi earum, fi quis in iis fit fapiens, „ nullo loco numerem fcientiam — fed revera, Athenienfes, nihil harum „ fcio. Testes autem plerosque vestrum rurfus adhibeo. Rogo vos „ docere et exponere invicem velitis, quotquot me disferentem aliquando „ audivistis. Multi autem vestrum funt, qui me audiverint. Comme-„ morate igitur invicem, num quis vestrum aliquando de iis rebus five „ multum five parum me disputantem audiverit, atque inde cognosce-„ tis, ejusmodi etiam esfe cetera, quae de me a multis narrantur. „ Nam nihil horum verum est". Atque deinceps. „ Quod fi quis dixe-„ rit, fe privatim a me quidquam vel didicisfe vel audivisfe, quod nec „ aliis omnibus commune fecerim, non verum dicit".

Hoc testimonio nihil certius, nihil magis affirmans esfe potest. Testes invocat omnes, qui ipfum audiverant (eodem modo, quo apud Xenophontem), nunquam fe de his rebus disputasfe, nunquam eas docuisfe. Qua de re illi mihi in errore verfari videntur, qui freti iis, quae de fuis naturalium rerum in juventute ftudiis in Phaedone narrat Socrates, affirmant, Socratem *juniorem* has docuisfe, atque fic Ariftophani irridendi fui caufam dedisfe (*a*). Cur enim in Apologia ne verbo quidem de his ftudiis mentio-

(*a*) Ita T. C. Harles in praefatione ad Ariftophanis Nubes. Lipf. 1788. — „ Cum primis „ inftitui demonftrare, Ariftophanis in hac fabula eam fuisfe mentem, ut cum Socra-„ tem, *in adolescentia fophistarum doctrinis artibusque imbutum*, licet adultior et fenior „ evi-

tionem facit? Cur non excufavit fe apud judices de his juventutis erroribus? Cur non petiit, ut memoria eorum remitteretur prudentiae fenis? Verum tantum abest, ut hoc faciat, ut *totius peractae vitae* Athenienfes testes adducat: „ Εἰ *πώποτε ἢ σμίκρον ἤκουσέ τις αὐτῶν, αὐτοῦ περὶ τούτων* „ *διαλεγομένου*". Mirum profecto est, illos, qui hanc fententiam tuentur, oratione Socratis in Phaedone, atque adeo ipfius Platonis auctoritate fretos, id ftatuisfe, cujus contrarium a Platone ipfo in Apologia aperte docetur.

Ad Meliti accufationem, quod folem esfe lapidem doceret, lunam vero terram, ita respondet Socrates: „ Anaxagoram a te accufari cre„ dis, atque hos judices tam parvi facis, eosque ita litterarum expertes „ putas esfe, ut nesciant, Anaxagorae Clazomenii libros ejusmodi quae„ ftionibus refertos esfe. Juvenes autem haec a me discant? Quae cuivis „ fubinde fi permagno, drachma licet de fcena emere, ut Socratem irri„ deant, fi haec fingat, fua esfe, praefertim cum tam abfurda fint „ (*ἄτοπα*)" (*a*).

Unde

„ evafisfet hostis illorum acerrimus, Euripidi amicum, comoediarum et comicorum „ oforem, tum maxime Sophistas, quorum perfonam Socrates indueret (et is junior „ aliquatenus potuit probabilius fustinere illam) rifui, ludibrioque fpectatorum expone„ ret in theatro". Hac hypothefi duce, explicantur Nubes, ut v. c 94, ubi Harles obfervat „ Socrates junior ftudio rerum naturalium deditus, de natura coeli, fiderum „ terraeque more aliornm philofophorum disferens, coelum esfe dixit concameratum feu „ convexum, et terram tegere". Satis fidenter profecto! Si addidisfet *forfitan*, nullus obftarem. Multa enim *nobis* in historia funt, quae fieri potuerunt, etiam ea, quae non verifimilia funt. Si quis autem profitetur, *factum est*, majus quiddam ab eo, ut id nobis probetur, requirimus.

(*a*) Haec confentiunt iis, quae de Anaxagora in Memorabilibus narrantur, de quibus jam diximus.

Unde autem istae calumniae ortae ſint, his verbis indicat (*a*). „ Ne „ accuſatoribus meis (intelligitur etiam Ariſtophanes) accuſationis materia „ deesſe videatur, arripiunt ista convicia, quae in omnes, qui philoſo- „ phantur, in promtu ſunt, me inquirere, quae in aëre atque ſub terra „ ſint, deos non credere, inferiorem cauſam efficere ſuperiorem. Nam „ verum, credo, fateri nolunt. Aegre ferunt, ſuam et ſcientiae ſimulatio- „ nem et inſcientiam patefactam esſe. Sapientis nomen (*b*) mihi prop- „ terea exortum est, quod quoties ulla in re alium redarguo, qui adſunt, „ credant, in ea ipſum me esſe ſapientem (*c*).

Denique qua ſapientia praestet, declarat his verbis (*d*). „ Equidem „ non ob aliud profecto ſapientis nomen nactus ſum, niſi ob ſapientiam „ quandam. Verum ob quam ſapientiam? Forſitan ob humanam; nam „ in hac revera ſapiens esſe videor. Illi vero, de quibus modo dicebam „ (Gorgias Leontinus, Prodicus Chius, Hippias Eleus), fortasſis ob ma- „ jorem quam hanc ſapientiam ſapientes ſunt — vel quod dicam, non „ habeo. Equidem ea praeditus non ſum. Quicunque ea me praeditum „ esſe affirmat, mentitur, atque id in meam calumniam dicit, cet".

Haec autem ſapientia, quae humanam ſuperat, ut ex orationis contextu ſequitur, etiam Phyſicas res complectitur. Quare illa est ſapientia, quam Xenophon dicit verſari *ἐν τοῖς δαιμονίοις*, oppoſita humanae ſapientiae, quae *τὰ ἀνθρώπεια* ſpectat. Conferantur, quae de his ſupra (*e*) diximus, unde, quam

(*a*) Apologia p. 54.

(*b*) Pag. 53.

(*c*) Pag. 47. ſeqq.

(*d*) (*Memorabil.* I. 1. § 11.) Xenophon etiam docet, quomodo et quibus rationibus rerum naturalium perſcrutatores erroris et ignorantiae convinceret Socrates.

(*e*) Pag. 170. ſeq.

quam mirum in modum hac in re confentiant Plato atque Xenophon, colligitur (*a*).

Haec fufficiant ad demonftrandum, prorfus fecum invicem convenire, quae cum in Xenophontea, tum in Platonica Apologia de Phyficis Socratis

---

(*a*) Hoc Platonis in Apologia testimonium eo plus mihi auctoritatis habere videtur, quod eas doctrinas, quas Socrates repudiabat, non folum addidicerat, verum etiam eas probas, veras, civitati utiles ac deo gratas habebat, quod apparet in dialogis de Legibus, atque Epinomi, ubi Geometriae, Astronomiae, atque Phyficae ftudium vehementer commendat, adeo ut Socratem ipfum, de his ftudiis aliter disputantem, refutare voluisfe videatur. Ita de Legibus VII. ATHENIENSIS. Πολλοῦ δὲ ἄν δεήσειεν ἄνθρωπός γε θεῖος γενέσθαι, μήδε νύκτα καὶ ἡμέραν διαριθμεῖσθαι δυνατὸς ὤν· σελήνης δὲ καὶ ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ἄςρων περιφορᾶς ἀπείρως ἔχων. Ταῦτ' οὖν δὴ πάντα, ὡς μὲν οὐκ ἀναγκαῖά ἐςι μαθήματα τῷ μέλλοντι σχεδὸν ὁτιοῦν τῶν καλλίςων μαθημάτων εἴσεσθαι, πολλὴ ἡ μωρία τοῦ διανοήματος· atque deinceps. ATHENIENSIS. Ἄςρων δὴ τὸ μετὰ ταῦτα ὅρα τὴν μάθησιν τοῖς νέοις, ἂν ἡμᾶς ἀρέσκῃ λεχθεῖσα, ἢ καὶ τοὐναντίον. CLINIAS. Λέγε μόνον. ATH. Καὶ μὴν θαῦμά γε περὶ ταῦτα ἐςί μέγα, καὶ οὐδαμῶς οὐδαμῇ ἀνεκτόν. CLINIAS. Τὸ ποῖον δή; ATH. Τὸν μέγιςον θεὸν καὶ ὅλον τὸν κόσμον φαμὲν οὔτε ζητεῖν δεῖν, οὔτε πολυπραγμονεῖν, τὰς αἰτίας ἐρευνῶντας, οὐ γὰρ οὐδ' ὅσιον εἶναι. Τὸ δὲ ἔοικε πᾶν τούτου τοὐναντίον γιγνόμενον, ὀρθῶς ἂν γίγνεσθαι. CL. Πῶς εἶπες; ATH. Παράδοξον μὲν τὸ λεγόμενον, καὶ οὐκ ἂν πρεσβύταις τὶς οἰηθείη πρέπειν τόδε, ἐπειδάν τὶς τί καλόν τε οἰηθῇ καὶ ἀληθὲς μάθημα εἶναι καὶ πόλει ξυμφέρον, καὶ τῷ θεῷ παντάπασι φίλον, οὐδενὶ δὴ τρόπῳ δυνατόν ἐςιν ἔτι μὴ φράζειν. Cet. Atque in Epinomi; Τόδε δὲ μηδεὶς ποτὲ φοβηθῇ τῶν Ἑλλήνων, ὡς οὐ χρὴ περὶ τὰ θεῖα ποτὲ πραγματεύεσθαι θνητοὺς ὄντας. Πᾶν δὲ τούτου διανοηθῆναι Τοὐναντίον. Deinde. Ἀςρονομίαν ἀγνοεῖτε, ὅτι σοφώτατον ἀνάγκη τὸν ἀληθῶς ἀςρονόμον εἶναι, μὴ τὸν καθ' Ἡσίοδον ἀςρονομοῦντα καὶ πάντας τοὺς τοιούτους, οἷον δυσμάς τε καὶ ἀνατολὰς ἐπισκεμμένον· ἀλλὰ τὸν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰς ἑπτὰ περιόδους διεξιούσης. Cet.

tis placitis occurrunt. Non attingemus, quoniam iis parva aut nulla est auctoritas, argumenta ex ipsis Platonicis dialogis petita, in quibus praecipue sunt illa, quae de suis in juventute studiis, atque de Anaxagorae libro *de mente* in *Phaedone* (a) fuse exposuit Socrates, quae, *quam alienus ab his studiis, atque quam parum ad ea aptus fuerit*, dilucide ostendunt. Haec autem praetereuntibus nobis, jure, credo, concedetur, ut iis etiam sermonum locis, qui contraria docere videantur, nulla omnino auctoritas habeatur.

Quamobrem, quantum fas est in historicis rebus, ubi aliorum maxime testimoniis omnis conclusio nititur, idem concludamus licet, quod Xenophonte duce jam fecimus, *omnem legum atque causarum naturalium investigationem Socratem contemsisse, atque id statuisse, de Physicorum conatibus idem esse censendum, quod de Cosmologicorum atque Metaphysicorum; nimirum irritos eos esse, humanas superare vires, nullam ex iis percipi posse utilitatem.*

Ceterum, quatenus hic Socratis error justas in reprehensiones incurrat, exponere, hujus non est loci. Illud tamen praeterire non possum, (quod sine dubio omnibus patet, qui libero judicio Xenophontis Memorabilia, aliaque, in quibus vere exprimitur, perlegerint, atque quantum morum officiique studium omnibus aliis praecellat studiis, agnoverint) Socratem multo magis celebrandum esse, quod doctrinam de moribus tam praeclare, tam enixe tractaverit, quam vituperandum, quod Geometriae, Astronomiae atque Physices studium contemserit. Certe id mihi persuasi, si datur aliqua divina Providentia, quae actionum moralium curam gerit (quis autem sancti officii memor de hac dubitet?) si in hominum salutem ab hac Providentia divina diversis temporibus missi fuerunt viri, animo ingenioque egregii, qui, sensus morales excitando, confirmando, quam efficacissime agerent in aequales atque posteros, Socratem in

(a) Pag. 218—227.

in hos viros referendum esſe. Praeclarum munus ipſi mandatum et cognovit, et totum ſe ei dedit, et ad mortem usque eo fidelisſime functus est. Εἴ μοι, ita alloquitur judices, πρὸς ταῦτα εἴποιτε. Ὦ Σώκρατες, νῦν μὲν Ἀνύτῳ οὐ πεισόμεθα, ἀλλ᾽ ἀφίεμέν σε, ἐπὶ τούτῳ μέντοι ἐφ᾽ ᾧτε μηκέτι ἐν ταύτῃ τῇ ζητήσει διατρίβειν, μηδὲ φιλοσοφεῖν· ἐὰν δὲ ἁλῷς ἔτι τοῦτο πράττων, ἀποθανῇ· εἰ οὖν με, ὅπερ εἶπον, ἐπί τούτοις ἀφίοιτε, εἴποιμ᾽ ἂν ὑμῖν· Ὅτι ἐγὼ ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δε μᾶλλον τῷ θεῷ ἢ ὑμῖν — Ταῦτα γὰρ κελεύει ὁ θεὸς, εὖ ἴσε· καὶ ἐγὼ οἶμαι οὐδέν πω ὑμῖν μεῖζον ἀγαθὸν γενέσθαι ἐν τῇ πόλει ἢ τὴν ἐμὴν τῷ θεῷ ὑπηρεσίαν. Οὐδὲν γὰρ ἄλλο πράττων ἐγὼ περιέρχομαι ἢ πείθων ὑμῶν καὶ νεωτέρους καὶ πρεσβυτέρους, μήτε σωμάτων ἐπιμελεῖσθαι μήτε χρήματων πρότερον, μήτε ἄλλου τινὸς οὕτω σφόδρα, ὡς τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς ἀρίςη ἔσται; cet.

Quis haec aliaque ſine animi commotione, ſine admiratione legat? Longe abſit a nobis, venerandum hunc virum de contemto commemoratarum artium ſtudio irridere, aut accuſare. Atque haud ſcio an, quamvis has artes contemſerit, tamen earum ſtudia maxime promoverit, discipulorum mentem exercendo, acuendo, in libertatem vindicando, dilucidis notionibus atque veri investigandi ſtudio implendo. Etenim hac praecipue ratione e disciplina Socratis quam plurima disſidentium philoſophorum genera exſtiterunt, quorum multi ſummo ardore Geometriam atque Phyſicam coluerunt.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
881S35.YSCH C001
DISPUTATIO QUA SOCRATIS SENTENTIA DE PHY
3 0112 023833301